


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-823004-p0002-5

L. JVNII MODERATI
COLVMELLAE
DE
RE RVSTICA
PARS ALTERA

L. JVNII MODERATI COLVMELLAE DE RE RVSTICA

LIBRI XII

CVRANTE

Jo. MATTHIA GESNERO

TOMVS SECVNDVS



MANNHEMII,
Cura & Sumptibus Societatis literatae
MDCCLXXXI.

L. IVNII MODERATI

COLVMELLAE

DE

RE RVSTICA

LIBRI XII

CVRANTE

Io. MATTHIA GESNERO

TOMVS SECVNDVS

MANNHEMII,

Curis & Sumptibus Societatis Literatae

MDCCLXXXII.

L. J. M. COLVMELLAE
DE
RE RVSTICA
LIBER SEXTVS

PRAEFATIO

Scio quosdam, Publi Silvine, prudentes agricolas pecoris gregariorumque pastorum abnuisse curam, & eam velut inimicam professionis suae disciplinam constantissime repudiasse. Neque insitior, id eos aliqua ratione feciſſe, quasi sit agricolae contrarium pastoris propositum: cum ille quam maxime subacto & puro solo gaudeat, hic novali, graminosoque; ille fructum e terra speret, hic e pecore. ita fit, ut quod arator abominatur, contra pastor optet, herbarum proventum. Sed in his tam discordantibus votis est tamen quaedam societas, atque conjunctio: quoniam & pabulum e fundo plerumque domesticis pecudibus magis, quam alienis depascere ex usu sit, & copiosa stercoratione, quae contingit e gregibus, terrestres fructus exuberant. Nec tamen ulla regio est, in qua modo frumenta gignantur, quae non, ut ho-

minum, ita armentorum adjumento juvetur. unde etiam jumenta nomen a re traxere, quod noſtrum laborem, vel onera ſubvectando, vel arando juvarent. Itaque ſicut veteres Romani praeceperunt, ipſe quoque cenſeo tam pecorum quam agrorum cultum pernoſcere. Nam in ruſticatione vel antiquiſſima eſt ratio paſcendi, eademque quaeſtuoſiſſima; propter quod nomina quoque & pecuniae & peculii tracta videntur a pecore: quoniam id ſolum veteres poſſederunt, & adhuc apud quaſdam gentes unum hoc uſurpatur divitiarum genus: & nunc apud noſtros quidem colonos alia res uberior nulla eſt; ut etiam M. Cato credidit, qui conſulenti, quam partem rei ruſticae exercendo celeriter locupletari poſſet? reſpondit, ſi bene paſceret: rurſuſque interroganti, quid deinde faciendo ſatis uberes fructus percepturus eſſet? affirmavit, ſi mediocriter paſceret. Caeterum de tam ſapiente viro piget dicere, quod eum quidam auctores memorant, eidem quaerenti, quodnam tertium in agricolatione quaeſtuoſum eſſet? aſſeveraſſe, ſi quis vel male paſceret: cum praeſertim majus diſpendium ſequatur inertem & inſcium paſtorem, quam prudentem diligentemque compendium. De ſecundo ta-

men reſponſo dubium non eſt, quin mediocrem negligentiam domini fructus pecoris exuperet. Quam ob rem nos quoque hanc partem rei ruſticae, Silvine, quanta valuimus induſtria, majorum ſecuti praecepta, poſteritati mandavimus. Igitur cum ſint duo genera quadrupedum, quorum alterum paramus in conſortium operum, ſicut bovem, mulam, equum, aſinum; alterum voluptatis, ac reditus & cuſtodiae cauſa, ut ovem, capellam, ſuem, canem: de eo genere primum dicemus, cujus uſus noſtri laboris eſt particeps. Nec dubium, quin (ut ait Varro) caeteras pecudes bos honore ſuperare debeat, praeſertim autem in Italia, quae ab hoc nuncupationem traxiſſe creditur, quod olim Graeci tauros Ἰταλὲς vocarent; & in ea urbe, cujus in moenibus condendis mas & foemina aratro terminum ſignaverunt, velut pecus: quod item Athenis Cereris & Triptolemi fertur miniſter: quod inter fulgentiſſima ſidera particeps caeli: quod deinde laboriosiſſimus adhuc hominis ſocius in agricultura: cujus tanta fuit apud antiquos veneratio, ut tam capitale eſſet bovem necaſſe, quam civem. Ab hoc igitur promiſſi operis capiamus exordium.

CAPVT I.

De bubus parandis atque emendis, earumque forma.

QVAE in emendis bubus ſequenda, quaeque vitanda ſint, non ex facili dixerim; cum pecudes, pro regionis caelique ſtatu, & habitum corporis, & ingenium animi, & pili colorem gerant. Aliae formae ſunt Aſiaticis, aliae Gallicis, Epiroticis aliae. nec tantum diverſitas provinciarum, ſed ipſa quoque Italia partibus ſuis diſcrepat. Campania plerumque boves progenerat albos & exiles, laborí tamen & culturae patrii ſoli non inhabiles. Umbria vaſtos & albos; eademque rubros: nec minus probabiles animis, quam corporibus. Hetruria & Latium compactos, ſed ad opera fortes. Appenninus duriſſimos omnemque difficultatem tolerantes, nec ab aſpectu decoros. Quae cum tam varia & diverſa ſint, tamen quaedam quaſi communia & certa praecepta in emendis juvencis arator ſequi debet, eaque Mago Carthaginienſis ita prodidit, ut nos deinceps memorabimus. Parandi ſunt boves novelli, quadrati, grandibus membris, cornibus proceris, ac nigrantibus & robuſtis, fronte lata & criſpa,

hirtis auribus, oculis & labris nigris, naribus resimis patulisque, cervice longa & torosa, palearibus amplis & pene ad genua promissis, pectore magno, armis vastis, capaci & tanquam implente utero, lateribus porrectis, lumbis latis, dorso recto planoque, vel etiam subsidente, clunibus rotundis, cruribus compactis ac rectis, sed brevioribus potius quam longis, nec genibus improbis, ungulis magnis, caudis longissimis & setosis pilosisque, corpore denso brevique, colore rubeo vel fusco, tactu corporis mollissimo.

De bubus domandis.

Cap. II. Talis notae vitulos oportet, cum adhuc teneri sunt, consuescere manu tractari, ad praesepia religari, ut exiguus in domitura labor eorum, & minus sit periculi. Verum neque ante tertium, neque post quintum annum juvencos domari placet, quoniam illa aetas adhuc tenera est, haec jam praedura: eos autem, qui de grege feri comprehenduntur, sic subigi convenit. Primum omnium spatiosum stabulum praeparetur, ubi domitor facile versari, & unde digredi sine periculo possit. Ante stabulum nullae angustiae sint, sed aut campus, aut via late patens: ut cum producentur juvenci, liberum habeant excur-

ſum, ne pavidi aut arboribus, aut objacenti cuilibet rei ſe implicent, noxamque capiant. In ſtabulo ſint ampla praeſepia, ſupraque tranſverſi afferes in modum jugorum a terra ſeptem pedibus elati configantur, ad quos religari poſſint juvenci. Diem deinde, quo domituram auſpiceris, liberum a tempeſtatibus & a religionibus matutinum eligito, cannabiniſque funibus cornua juvencorum ligato. Sed jaculi, quibus capulantur, lanatis pellibus involuti ſint, ne tenera fronte ſub cornua laedantur. Cum deinde buculos comprehenderis, perducito ad ſtabulum, & ad ſtipites religato ita, ut exiguum laxamenti habeant, diſtentque inter ſe aliquanto ſpatio, ne in colluctatione alter alteri noceat. Si nimis aſperi erunt, patere unum diem noctemque deſaeviant; ſimulatque iras contuderint, manu producantur, ita ut & aliquis ante, & a tergo complures, qui ſequantur, retinaculis eos contineant, & unus cum clava ſalignea procedens modicis ictibus ſubinde impetus eorum coerceat. Sin autem placidi & quieti boves erunt, vel eodem die, quo alligaveris, ante veſperum licebit producere, & docere per mille paſſus compoſite ac ſine pavore ambulare: cum domum perduxeris, arcte

ad ſtipites religato, ita ne capite moveri poſſint. Tum demum ad alligatos boves, neque a poſteriore parte, neque a latere, ſed adverſus, placide & cum quadam vocis adulatione venito, ut accedentem conſueſcant aſpicere. Deinde nares perfricato, ut hominem diſcant odorari. Mox etiam convenit tota tergora & tractare, & reſpergere mero, quo familiariores bubulco fiant: ventri quoque, & ſub femina manum ſubjicere, ne ad ejuſmodi tactum poſtmodum paveſcant, & ut ricini, qui plerumque feminibus inhaerent, eximantur. Itaque cum fit, a latere domitor ſtare debet, ne calce contingi poſſit. Poſt haec diductis malis educito linguam, totumque eorum palatum ſale defricato, libraleſque offas in praeſulſae adipis liquamine tinctas, lingula demittito, ac vini ſingulos ſextarios per cornu faucibus infundito: nam per haec blandimenta triduo fere manſueſcunt, jugumque quarto die accipiunt, cui ramus illigatur, & temonis vice trahitur: interdum & pondus aliquod injungitur, ut majore niſu laboris exploretur patientia. Poſt ejuſmodi experimenta vacuo ploſtro ſubjungendi, & paullatim longius cum oneribus producendi ſunt. Sic perdomiti mox ad aratrum inſti-

tuantur, sed in subacto agro, ne statim difficultatem operis reformident, neve adhuc tenera colla dura proscissione terrae contundant. Quemadmodum autem bubulcus in arando bovem instituat, primo praecepi volumine. Curandum, ne in domitura bos calce aut cornu quemquam contingat. Nam nisi haec caveantur, nunquam ejusmodi vitia, quamvis subacto, eximi poterunt. Verum ista sic agenda praecipimus, si veteranum pecus non aderit. Nam si aderit, expeditior tutiorque ratio domandi est, quam nos in nostris agris sequimur. Nam ubi plostro, aut aratro juvencum consuescimus, ex domitis bubus, valentissimum, eundemque placidissimum cum indomito jungimus; qui & procurrentem retrahat, & cunctantem producat. Si vero non pigeat jugum fabricare, quo tres jungantur, hac machinatione consequemur, ut etiam contumaces boves gravissima opera non recusent. Nam ubi piger juvencus medius inter duos veteranos jungitur, aratroque injuncto terram moliri cogitur, nulla est imperium respuendi facultas; sive enim efferatus prosilit, duorum arbitrio inhibetur: seu consistit, duobus gradientibus etiam obsequitur: seu conatur decumbere, a valentio-

ribus sublevatus trahitur: propter quae undique necessitate contumaciam deponit, & ad patientiam laboris pauciſſimis verberibus perducitur. Est etiam post domituram mollioris generis bos, qui decumbit in sulco: eum non saevitia, sed ratione censeo emendandum. Nam qui stimulis, aut ignibus, aliisque tormentis id vitium eximi melius judicant, verae rationis ignari sunt: quoniam pervicax contumacia plerumque saevientem fatigat; propter quod utilius est citra corporis vexationem fame potius & siti cubitorem bovem emendare. Nam eum vehementius afficiunt naturalia desideria, quam plagae. Itaque, si bos decubuit, utiliſſimum est, sic pedes ejus vinculis obligari, ne aut insistere, aut progredi, aut pasci possit. quo facto inedia & siti compulsus deponit ignaviam; quae tamen rariſſima est in pecore vernaculo: longeque omnis bos indigena melior est quam peregrinus. Nam neque aquae, nec pabuli, nec caeli mutatione tentatur, neque infestatur conditione regionis, sicut ille, qui ex planis & campestribus locis in montana & aspera perductus est, vel ex montanis in campestria. Itaque etiam, cum cogimur ex longinquo boves arcessere, curan-

dum est, ut ex similibus patriis locis traducantur. Item custodiendum est, ne in corporatione, vel statura, vel viribus impar cum valentiore jungatur. Nam utraque res inferiori celeriter affert exitium. Mores hujus pecudis probabiles habentur, qui sunt propiores placidis, quam concitatis; sed non inertes: qui sunt verentes plagarum & acclamationum; sed fiducia virium, nec auditu, nec visu pavidi, nec ad ingredienda flumina aut pontes formidolosi: multi cibi edaces; verum in eo conficiendo lenti. Nam hi melius concoquunt, ideoque robora corporum citra maciem conservant, qui ex commodo, quam qui festinanter mandunt. Sed tam vitium est bubulci, pinguem quam exilem bovem reddere: habilis enim & modica corporatura pecoris operarii debet esse, nervisque & musculis robusta, non adipibus obesa, ut nec sui tergoris mole, nec labore operis degravetur. Sed quoniam, quae sequenda sunt in emendis domandisque bubus tradidimus, tutelam eorum praecipiamus.

De boum cura & cibariis.

Cap. III. Boves calore sub divo, frigoribus intra tectum manere oportet. Itaque hibernae stabulationi eorum praeparanda sunt

ſtramenta, quae menſe Auguſto intra dies triginta ſublatae meſſis praeciſa, in acervum extrui debent. Horum deſectio cum pecori, tum agro eſt utilis: liberantur arva ſentibus, qui aeſtivo tempore per Caniculae ortum reciſi, plerumque radicitus intereunt, & ſtramentis pecoris ſubjecti plurimum ſtercoris efficiunt. Haec cum ita curaverimus, tum & omne genus pabuli praeparabimus, dabimuſque operam, ne penuria cibi macreſcat pecus. Boves autem recte paſcendi non una ratio eſt. Nam ſi ubertas regionis viride pabulum ſubminiſtrat, nemo dubitat, quin id genus cibi caeteris praeponendum ſit: quod tamen niſi riguis aut roſcidis locis non contingit. Itaque in iis ipſis vel maximum commodum eſt, quod ſufficit una opera duobus jugis, quae eodem die alterna temporum vice vel arant, vel paſcuntur. Siccioribus agris ad praeſepia boves alendi ſunt, quibus pro conditione regionum cibi praebentur: eoſque nemo dubitat, quin optimi ſint vicia in faſcem ligata & cicercula, itemque pratenſe foenum. Minus commode tuemur armentum paleis, quae ubique, & quibuſdam regionibus ſolae, praeſidio ſunt: eae probantur maxime ex milio, tum ex ordeo, mox etiam

ex tritico. Sed jumentis juſtam operam reddentibus, ordeum praeter has praebetur. Bobus autem pro temporibus anni pabula diſpenſantur. Januario menſe ſingulis freſi & aqua macerati ervi quaternos ſextarios miſtos paleis dare convenit, vel lupini macerati modios, vel cicerculae maceratae ſemodios, & ſuper haec affatim paleas. Licet etiam, ſi ſit leguminum inopia, & eluta & ſiccata vinacia, quae de lora eximuntur, cum paleis miſcere; nec dubium eſt, quin ea longe melius cum ſuis folliculis, ante quam eluantur, praeberi poſſint. Nam & cibi, & vini vires habent, nitidumque & hilare, & corpulentum pecus faciunt. Si grano abſtinemus, frondis aridae corbis pabulatoria modiorum viginti ſufficit, vel foeni pondo triginta, vel ſi non, modius viridis laureae & iligneae frondis. ſed his, ſi regionis copia permittat, glans adjicitur: quae niſi ad ſatietatem detur, ſcabiem parit. Poteſt etiam, ſi proventus utilitatem facit, ſemodius fabae freſae praeberi. Menſe Februario plerumque eadem cibaria ſufficiunt. Martio & Aprili debet ad foeni pondus adjici, quia terra proſcinditur: ſat autem erit pondo quadragena ſingulis dari. Ab Idibus tamen menſis Aprilis uſque in Idus

Junias

Junias viride pabulum recte secatur: potest etiam in Calendas Julias frigidioribus locis idem praestari: a quo tempore in Calendas Novemb. tota aestate, & deinde autumno sationtur fronde; quae tamen non ante est utilis, quam cum maturuerit vel imbribus, vel assiduis roribus: probaturque maxime ulmea, post fraxinea, & ab hac populnea. ultimae sunt ilignea, & quernea & laurea: sed post aestatem necessariae deficientibus caeteris. Possunt etiam & folia ficulnea probe dari, si sit eorum copia, aut stringere arbores expediat. Ilignea tamen [vel] melior est quernea, sed ejus generis, quod spinas non habet. Nam id quoque, uti juniperus, respuitur a pecore propter aculeos. Novembri mense ac Decembri, per sementem, quantum appetit bos, tantum praebendum est: plerumque tamen sufficiunt singulis modii glandis & paleae ad satietatem datae, vel lupini macerati modii, vel ervi aqua consperssi sextarii VII permisti paleis, vel cicerculae similiter consperssae sextarii XII misti paleis, vel singuli modii vinaceorum, si iis, ut supra dixi, large paleae adjiciantur; vel si nihil horum est, per se foeni pondo quadraginta.

De vitiis boum & medicinis.

CAP. IV. Sed non proderit cibis satiari pecora, nisi omni adjuventur diligentia, ut salubri sint corpore, viresque conservent: quae utraque custodiuntur large dato per triduum medicamento, quod componitur pari pondere triti lupini, cupressique, & cum aqua nocte una sub divo habito; idque quater anno fieri debet ultimis temporibus veris, aestatis, autumni, hiemis. Saepe etiam languor & nausea discutitur, si integrum gallinaceum crudum ovum jejunis faucibus inseras, ac postero die spicas ulpici vel allii cum vino conteras, & in naribus infundas: neque haec tantum remedia salubritatem faciunt. Multi & largo sale miscent pabula; quidam marrubium dederunt cum oleo & vino, quidam porri fibras, alii grana thuris, alii sabinam herbam rutamque cum mero diluunt. eaque medicamenta potanda praebent. Multi caulibus vitis albae, & valvulis ervi bubus medentur: nonnulli pellem serpentis obtritam cum vino miscent. Est etiam remedio, cum dulci vino tritum serpyllum, & concisa & in aqua macerata scilla. Quae omnes praedictae potiones trium heminarum, singulis diebus per triduum datae,

alvum purgant, depulsisque vitiis, recreant vires. Maxime tamen habetur salutaris amurca, si tantundem aquae misceas, & ea pecus insuescas; quae protinus dari non potest, sed primo cibi asperguntur; deinde exigua portione medicatur aqua, mox pari mensura mista datur ad satietatem.

Ubi gregibus pestilentia ingruit, quae remedia adhibenda sint.

Cap. V. Nullo autem tempore, & minime aestate utile est boves in cursum concitari: nam ea res aut cit alvum, aut movet febrem. Cavendum quoque est, ne ad praesepia sus aut gallina perrepat. Nam hoc quod decidit, immistum pabulo, bubus affert necem: & id praecipue, quod egerit sus aegra, pestilentiam facere valet. quae cum in gregem incidit, confestim mutandus est caeli status, & in plures partes distributo pecore longinquae regiones petendae sunt, atque ita segregandi a sanis morbidi, ne quis interveniat, qui contagione caeteros labefaciat. Itaque cum ablegabuntur, in ea loca perducendi sunt, quibus nullum impascitur pecus, ne adventu suo etiam illis tabem afferant. Evincendi sunt autem quamvis pestiferi morbi, & exquisitis remediis propulsandi. Tunc pana-

cis & eryngii radices foeniculi seminibus miscendae, & cum defruti ac moliti tritici farina, candenti [que] aqua conspergendae, eoque medicamine salivandum aegrotum pecus. Tunc paribus casiae, myrrhaeque & thuris ponderibus, ac tantundem sanguinis marinae testudinis miscetur potio cum vini veteris sextariis tribus, & ita per nares infunditur. Sed ipsum medicamentum ponderis sexcunciae divisum, portione aequa per triduum cum vino dedisse sat erit. Praesens etiam remedium cognovimus radiculae, quam pastores consiliginem vocant. ea in Marsis montibus plurima nascitur, omnique pecori maxime est salutaris. Laeva manu effoditur ante solis ortum. sic enim lecta majorem vim creditur habere. Usus ejus traditur talis. aenea subula pars auriculae latissima circumscribitur, ita ut manante sanguine tanquam O literae ductus appareat orbiculus. Hoc & intrinsecus, & ex superiore parte auriculae cum factum est, media pars descripti orbiculi eadem subula transuitur, & facto foramini praedicta radicula inseritur; quam cum recens plaga comprehendit, ita continet, ut elabi non possit: in eam deinde auriculam omnis vis morbi, pestilensque virus elicitur,

donec pars, quae ſubula circumſcripta eſt, demortua excidit, & minimae partis jactura caput conſervatur. Cornelius Celſus etiam viſci folia cum vino trita per nares infundere jubet. Haec facienda, ſi gregatim pecora laborant: illa deinceps, ſi ſingula.

Quod remedium adhibeatur bovi cruditate laboranti.

Cap. VI. Cruditatis ſigna ſunt crebri ructus, ac ventris ſonitus, faſtidia cibi, nervorum intentio, hebetes oculi. Propter quae bos neque ruminat, neque lingua ſe deterget. Remedio erunt aquae calidae duo congii, & mox triginta braſſicae caules modice cocti, & ex aceto dati. ſed uno die abſtinendum eſt alio cibo. Quidam clauſum intra tecta continent, ne paſci poſſit. tum lentiſci oleaſtrique cacuminum pondo IIII, & libram mellis una trita permiſcent aquae congio, quam nocte una ſub dio habent, atque ita faucibus infundunt. Deinde interpoſita hora macerati ervi quatuor libras objiciunt, aliaque potione prohibent. Hoc per triduum fieri debet, dum omnis cauſa languoris diſcutiatur. Nam ſi neglecta cruditas eſt; & inflatio ventris, & inteſtinorum major dolor inſequitur, qui nec capere cibos ſinit, gemi-

tus exprimit, locoque ſtare non patitur, ſaepe decumbere & agitare caput, caudamque crebrius agere cogit. Manifeſtum remedium eſt, proximam clunibus partem caudae vinculo vehementer obſtringere, vinique ſextarium cum olei hemina faucibus infundere, atque ita citatum per mille & quingentos paſſus agere. Si dolor permanet, ungulas circumſecare, & uncta manu per anum inſerta fimum extrahere, rurſuſque agere currentem. Si nec haec profuit res, caprifici aridae conteruntur, & cum dodrante aquae calidae dantur. Ubi nec haec medicina proceſſit, myrti ſylveſtris foliorum duae librae deligantur, totidemque ſextarii calidae aquae miſti per vas ligneum faucibus infunduntur. atque ita ſub cauda ſanguis emittitur. qui cum ſatis profluxit, inhibetur papyri ligamine. Tum concitate agitur pecus eo uſque, dum anhelet. Sunt & ante detractionem ſanguinis illa remedia; tribus heminis vini tres unciae pinſiti allii permiſcentur, & poſt eam potionem currere cogitur. Vel ſalis ſextans cum cepis decem conteritur, & admiſto melle decocto collyria immittuntur alvo, atque ita citatus bos agitur.

Quo remedio ſedetur dolor ventris & inteſtinorum pecoris.

CAP. VII. Ventris quoque & inteſtinorum dolor ſedatur viſu nantium, & maxime anatis. quam ſi conſpexerit, cui inteſtinum dolet, celeriter tormento liberatur. Eadem anas majore profectu mulos & equinum genus conſpectu ſuo ſanat. Sed interdum nulla prodeſt medicina. Sequitur torminum vitium, quorum ſignum eſt cruenta & mucoſa ventris proluvies. Remedia ſunt cupreſſini quindecim coni, totidemque gallae, & utrorumque ponderis vetuſtiſſimus caſeus. quibus in unum tunſis admiſcentur auſteri vini quatuor ſextarii, qui pari menſura per quatriduum diſpenſati dantur: nec deſint lentiſci, myrtique, & oleaſtri cacumina viridis. Alvus, corpus ac vires carpit, operique inutilem reddit. quae cum accident, prohibendus erit bos potione per triduum, primoque de cibo abſtinendus. Sed mox cacumina oleaſtri, & arundinis, item baccae lentiſci & myrti dandae; nec poteſtas aquae, niſi quam parciſſime facienda eſt. Sunt, qui tenerae laurus caulium libram, cum abrotoni macerati pari portione dent, cum aquae cali ae duobus ſextariis, atque ita faucibus infun-

dant, eademque pabula, ut supra diximus, objiciant. Quidam vinaceorum duas libras torrefaciunt & ita conterunt, & cum totidem sextariis vini austeri, potandum medicamentum praebent, omnique alio humore prohibent, nec minus cacumina praedictarum arborum objiciunt. Quod si neque ventris restiterit citata proluvies, neque intestinorum ac ventris dolor, ciboque respuet; & praegravato capite, si saepius, quam consuevit, lacrymae ab oculis, & pituita a naribus profluent: usque ad ossa frons media uratur, aureque ferro scindantur. Sed vulnera facta igne dum sanescunt, defricare bubula urina convenit. at ferro resciſſa melius pice & oleo curantur.

De vitiosis incrementis linguae.

Cap. VIII. Solent etiam fastidia cibo afferre vitiosa incrementa linguae, quas ranas veterinarii vocant. Haec ferro reciduntur, & sale cum allio pariter trito vulnera defricantur, donec lacessita pituita decidit. Tum vino perluitur os, & interposito unius horae spatio virides herbae, vel frondes dantur, dum facta ulcera cicatrices ducant. Si neque ranae fuerint, neque alvus citata, & nihilo minus cibos non appetet, proderit al-

lium pinsitum cum oleo per nares infundere, vel sale, vel cunela defricare fauces, vel eandem partem allio tunso & hallecula linire. Sed haec, si solum fastidium est.

Quale remedium febricanti bovi conveniat.

Cap. IX. Febricitanti bovi convenit abstineri cibo uno die, postero deinde exiguum sanguinem jejuno sub cauda emitti, atque interposita hora modicae magnitudinis coctos brassicae coliculos triginta ex oleo & garo salivati more demitti, eamque escam per quinque dies jejuno dari. Praeterea cacumina lentisci, aut oleae, vel tenerrimam quamque frondem, aut pampinos vitis objici, tum etiam spongia labra detergeri, & aquam frigidam ter die praeberi potandam. Quae medicina sub tecto fieri debet, nec ante sanitatem bos emitti. Signa febricitantis, manantes lacrymae, gravatum caput, oculi compressi, fluidum salivis os, longior & cum quodam impedimento tractus spiritus, interdum & cum gemitu.

De tussi boum.

Cap. X. Recens tussis optime salivato farinae ordeaceae discutitur. Interdum magis prosunt gramina concisa, & his admista fresa faba. Lentis quoque valvulis exemtae &

minute molitae, miscentur aquae calidae sextarii duo, factaque sorbitio per cornu infunditur. Veterem tussim sanant duae librae hyssopi macerati sextariis aquae tribus. Nam id medicamentum teritur, & cum lentis minute, ut dixi, molitae sextariis quatuor more salivati datur, ac postea aqua hyssopi per cornu infunditur. Porri etiam succus oleo, vel ipsa fibra cum ordeacea farina contrita, remedio est. Ejusdem radices diligenter lotae, & cum farre triticeo pinsitae, jejunoque datae, vetustissimam tussim discutiunt. Facit idem pari mensura ervum sine valvulis cum torrefacto ordeo molitum, & salivati more in fauces demissum.

Suppurationis remedia.

Cap. XI. Suppuratio melius ferro rescinditur, quam medicamento. Expressus deinde sinus ipse, qui eam continebat, calida bubula urina eluitur, atque linamentis pice liquida & oleo imbutis colligatur. Vel si colligari ea pars non potest, lamina candenti sevum caprinum aut bubulum instillatur. Quidam, cum vitiosam partem inusserunt, urina vetere eluunt, atque ita aequis ponderibus incocta pice liquida cum vetere axungia linunt.

Claudicanti bovi, quod remedium adhibeatur.

CAP. XII. Sanguis demissus in pedes claudicationem affert; quod cum accidit, statim ungula inspicitur: tactus autem fervorem demonstrat, nec bos vitiatam partem vehementius premi patitur. Sed si sanguis adhuc supra ungulas in cruribus est, fricatione assidua discutitur; vel cum ea nihil profuit, scarificatione demitur. At si jam in ungulis est, inter duos ungues cultello leviter aperies. Postea linamenta sale atque aceto imbuta applicantur, ac solea spartea pes induitur, maximeque datur opera, ne in aquam pedem mittat, & ut sicce stabuletur. Hic idem sanguis nisi emissus fuerit, saniem creabit, qui si suppuraverit, tarde percurabitur: ac primo ferro circumcisus & expurgatus, deinde pannis aceto & sale & oleo madentibus inculcatis, mox axungia vetere & sevo hircino pari pondere decoctis, ad sanitatem perducitur. Si sanguis in inferiore parte ungulae est, extrema pars ipsius unguis ad vivum resecatur, & ita emittitur, ac linamentis pes involutus spartea munitur. Mediam ungulam ab inferiore parte non expedit aperire, nisi eo loco jam suppuratio facta est. Si dolore nervorum claudicat, oleo & sale genua

poplitesque & crura confricanda sunt, donec sanetur. Si genua intumuerint, calido aceto fovenda sunt, & lini semen aut milium detritum, consperſumque aqua mulsa, imponendum: spongiae quoque ferventi aqua imbutae & expressae, atque melle litae, recte genibus applicantur, ac fasciis circumdantur. Quod si tumori subest aliquis humor, fermentum, vel farina ordeacea ex passo aut aqua mulsa decocta, imponitur: & cum maturuerit suppuratio, rescinditur ferro, eaque emissa, ut supra docuimus, linamentis curatur. Possunt etiam (ut Cornelius Celsus praecipit) lilii radix, aut scylla cum sale, vel sanguinalis herba, quam πολύγονον Graeci appellant, vel marrubium ferro recluſa sanare. Fere autem omnis dolor corporis, si sine vulnere est, recens melius fomentis discutitur; vetus uritur, & supra ustum butyrum, vel caprinus instillatur adeps.

Ad scabiem remedia, & ad morsum rabiosi canis vel lupi, nec non & ad coriaginem.

Cap. XIII. Scabies extenuatur trito allio defricto, eodemque remedio curatur rabiosae canis vel lupi morsus, qui tamen & ipse impoſito vulneri vetere salsamento, aeque bene

sanatur. Et ad scabiem praesentior alia medicina est: cunila bubula & sulphur conteruntur, admistaque amurca cum oleo, aqua, aceto incoquuntur. Deinde tepefactis scissum alumen tritum spargitur. Id medicamentum candente sole illitum maxime prodest. Ulceribus gallae tritae remedio sunt; nec minus succus marrubii cum fuligine. Est & infesta pestis bubulo pecori, coriaginem rustici appellant, cum pellis ita tergori adhaeret, ut apprehensa manibus deduci a costis non possit. Ea res non aliter accidit, quam si bos aut ex languore aliquo ad maciem perductus est; aut sudans in opere faciendo refrixit, aut si sub onere pluvia madefactus est. Quae quoniam pernicioſa sunt, custodiendum est, ut, cum ab opere boves redierint, adhuc aestuantes anhelantesque vino aspergantur, & offae adipis faucibus eorum inserantur. Quod si praedictum vitium inhaeserit, proderit decoquere laurum, & ea calda fovere terga, multoque oleo & vino confestim subigere, ac per omnes partes apprehendere & attrahere pellem; idque optime fit sub dio, sole fervente. Quidam fraces vino & adipe commiscent, eoque medicamento post fomenta praedicta utuntur.

Ad exulcerationem pulmonis, & ad tumorem palati atque cervicis.

CAP. XIV. Est etiam illa gravis pernicies, cum pulmones exulcerantur: inde tussis & macies, & ad ultimum phthisis invadit. Quae ne mortem afferant, radix consiliginis ita, ut supra docuimus, perforatae auriculae inseritur, tum porri succus instar heminae pari olei mensurae miscetur, & cum vini sextario potandus datur diebus compluribus. Interdum & tumore palati cibos respuit, crebrumque suspirium facit, & hanc speciem praebet, ut bos in latus pendere videatur. Ferro palatum opus est sauciare, ut sanguis profluat, & exemtum valvulis ervum maceratum, viridemque frondem, vel aliud molle pabulum, dum sanetur praebere. Si in opere collum contusum erit, praesentissimum est remedium sanguis de aure emissus: aut si id factum non erit, herba, quae vocatur avia, cum sale trita & imposita. Si cervix mota & dejecta est, considerabimus quam in partem declinet, & ex diversa auricula sanguinem detrahemus. Ea porro vena, quae in aure videtur esse amplissima, sarmento prius verberatur. Deinde cum ad ictum intumuit, cultello solvitur; & postero die iterum ex

eodem loco sanguis emittitur, ac biduo ab opere datur vacatio. Tertio deinde die levis injungitur labor, & paullatim ad justa perducitur. Quod si cervix in neutram partem dejecta est, mediaque intumuit, ex utraque auricula sanguis emittitur. Qui cum intra biduum, cum bos vitium cepit, emissus non est, intumescit collum, nervique tenduntur, & inde nata duricies jugum non patitur. Tali vitio comperimus aureum esse medicamentum ex pice liquida, & bubula medulla, & hircino sevo, & vetere oleo aequis ponderibus compositum, atque incoctum. Hac compositione sic utendum est: cum disjungitur ab opere, in ea piscina, ex qua bibit, tumor cervicis aqua madefactus subsiccatur, praedictoque medicamento defricatur & illinitur. Si ex toto propter cervicis tumorem jugum recuset, paucis diebus requies ab opere danda est. Tum cervix aqua frigida defricanda, & spuma argenti illinenda est. Celsus quidem tumenti cervici herbam, quae vocatur Avia, ut supra dixi, contundi & imponi jubet. Clavorum, qui fere cervicem infestant, minor molestia est: nam facile operanti lucerna instillatur. Potior tamen ratio est custodiendi, ne nascantur, neve colla

calveſcant, quae non aliter glabra fiunt, niſi cum ſudore aut pluvia cervix in opere madefacta eſt. Itaque cum id accidit, veteri lateri later conteritur, eoque intrito prius, quam disjungantur, colla conſpergi oportet: deinde cum id ſiccum erit, ſubinde oleo imbui.

Ad convulſos armos, & cornua praefracta.

CAP. XV. Si talum aut ungulam vomer laeſerit, picem duram & axungiam cum ſulfure & lana ſuccida involutam candente ferro ſupra vulnus inurito. Quod idem remedium optime facit exemta ſtirpe, ſi forte ſurculum calcaverit, aut acuta teſta vel lapide ungulam pertuderit, quae tamen ſi altius vulnerata eſt, latius ferro circumciditur, & ita inuritur, ut ſupra praecepi: deinde ſpartea calceata per triduum ſuffuſo aceto curatur. Item ſi vomer crus ſauciarit, marina lactuca, quam Graeci τιθύμαλλον vocant, admiſto ſale imponitur. Subtriti pedes eluuntur calefacta bubula urina: deinde faſce ſarmentorum incenſo, cum jam ignis in favillam recidit, ferventibus cineribus cogitur inſiſtere, ac pice liquida cum oleo vel axungia cornua ejus linuntur. Minus tamen claudicabunt armenta, ſi opere disjunctis multa frigida laventur

ventur pedes; & deinde ſuffragines, coronae, ac diſcrimen ipſum, quo diviſa eſt bovis ungula, vetere axungia defricetur.

Cap. XVI. Saepe etiam vel gravitate longioris, vel [cum] in proſcindendo, aut duriori ſolo, aut obviae radici obluctatus, convellit armos. Quod cum accidit, e prioribus cruribus ſanguis mittendus eſt: ſi dextrum armum laeſit, in ſiniſtro; ſi laevum, in dextro; ſi vehementius utrumque vitiavit, item in poſterioribus cruribus venae ſolventur. Praefractis cornibus linteola ſale atque aceto & oleo imbuta ſuperponuntur, ligatiſque per triduum eadem infunduntur. Quarto demum axungia pari pondere cum pice liquida, & cortice pineo, levigato [que] imponitur. Et ad ultimum cum jam cicatricem ducunt, fuligo infricatur. Solent etiam neglecta ulcera ſcatere vermibus: qui ſi mane perfunduntur aqua frigida, rigore contracti decidunt; vel ſi hac ratione non poſſunt eximi, marrubium aut porrum conteritur, & admiſto ſale imponitur: id celerrime necat praedicta animalia. Sed expurgatis ulceribus, confeſtim adhibenda ſunt linamenta cum pice & oleo, vetereque axungia, & extra vulnera eodem medicamento circumlinienda;

ne infestentur a muscis, quae ubi ulceribus insederunt, vermes creant.

Ad ictus serpentis & noxiorum animalium.

CAP. XVII. Est etiam mortifer iis serpentis ictus, est & minorum animalium noxium virus. Nam & vipera, & caecilia saepe cum in pascuo bos improvide supercubuit, lacessita onere morsum imprimit. Musque araneus, quem Graeci μυγαλῆν appellant, quamvis exiguis dentibus, non exiguam pestem molitur. Venena viperae depellit super scarificationem ferro factam herba, quam vocant personatam, trita & cum sale imposita. Plus etiam ejusdem radix contusa prodest, vel Simonianum trifolium. Quod invenitur confragosis locis, efficacissimum traditur, odoris gravis, neque absimilis bitumini, & idcirco Graeci eam ἀσφάλτιον appellant; nostri autem propter figuram vocant acutum trifolium: nam longis & hirsutis foliis viret, caulemque robustiorem facit, quam pratense. Hujus herbae succus vino mistus infunditur faucibus, atque ipsa folia, cum sale trita malagmatis more, scarificationi intenditur: vel si hanc herbam viridem tempus anni negat, semina ejus collecta, & levigata cum vino dantur potanda, radicesque cum suo caule

tritae, & farina & sale commistae ex aqua mulsa scarificationi superponuntur. Est etiam praesens remedium, si conteras fraxini tenera cacumina quinque librarum, cum totidem vini & duobus sextariis olei, expressumque succum faucibus infundas; itemque cacumina ejusdem arboris cum sale trita laesae parti superponas. Caeciliae morsus tumorem suppurationemque molitur. Idem facit etiam muris aranei; sed illius sanatur noxa subula aenea, si locum laesum compungas, cretaque cimolia ex aceto linas. Mus perniciem, quam intulit, suo corpore luit: nam animal ipsum oleo mersum necatur, & cum imputruit, conteritur, eoque medicamine morsus muris aranei linitur. Vel si id non adest, humorque ostendit injuriam dentium, cuminum conteritur, eique adjicitur exiguum picis liquidae & axungiae, ut lentorem malagmatis habeat. Id impositum perniciem commovet. Vel si antequam tumor discutiatur, in suppurationem convertitur, optimum est, ignea lamina conversionem resecare, & quicquid vitiosi est, inurere, atque ita liquida pice cum oleo linire. Solet etiam ipsum animal vivum creta figulari circumdari; quae cum siccata est, collo boum suspenditur. Ea res innoxium

pecus a morsu muris aranei praebet. Oculorum vitia plerumque melle sanantur. Nam sive intumuerunt, aqua mulsa triticeae farinae conspergitur & imponitur: sive album in oculo est, montanus sal, Hispanus, vel ammoniacus, vel etiam Cappadocus, minute tritus & immistus melli, vitium extenuat. Facit idem trita sepiae testa, & per fistulam ter die oculo inspirata. Facit & radix, quam Graeci σίλφιον vocant, vulgus autem nostra consuetudine laserpitium appellant. Hujus quantocunque ponderi decem partes salis ammoniaci adjiciuntur, eaque pariter trita oculo similiter infunduntur, vel eadem radix contusa, & cum oleo lentisci inuncta vitium expurgat. Epiphoram supprimit polenta conspersa mulsa aqua, & in supercilia genasque imposita, pastinacaeque agrestis semina, & succus armoraceae, cum melle conlinita oculorum sedant dolorem. Sed quotiescunque mel, aliusve succus remediis adhibetur, circumliniendus erit oculus pice liquida cum oleo, ne a muscis infestetur. Nam & ad dulcedinem mellis, aliorumque medicamentorum non hae solae, sed & apes advolant.

Remedia ad hauſtam hirudinem.

Cap. XVIII. Magnam etiam perniciem

saepe affert hirudo hausta cum aqua. Ea adhaerens faucibus sanguinem ducit, & incremento suo transitum cibis praecludit. Si tam difficili loco est, ut manu detrahi non possit, fistulam, vel arundinem inserito, & ita calidum oleum infundito: nam eo contactu animal confestim decidit. Potest etiam per fistulam deusti cimicis nidor immitti: qui ubi superponitur igni, fumum emittit, & conceptum nidorem fistula usque ad hirudinem perfert; isque nidor depellit haerentem. Si tamen vel stomachum, vel intestinum tenet, calido aceto per cornu infuso necatur. Has medicinas quamvis bubus adhiberi praeceperimus; posse tamen ex his plurima etiam omni majori pecori convenire, nihil dubium est.

De machina facienda, qua clausa jumenta curentur.

Cap. XIX. Sed & machina fabricanda est, qua clausa, jumenta bovesque curentur, ut & propior accessus ad pecudem medentibus sit, nec in ipsa curatione quadrupes reluctando remedia respuat. Est autem talis machinae forma: oboreis axibus compingitur solum, quod habet in longitudinem pedes novem, & in latitudinem pars prior dupondium semissem, pars posterior quatuor pedes. Huic solo

septenum pedum stipites recti ab utroque latere quaterni applicantur. Ii autem in ipsis quatuor angulis affixi sunt, omnesque transversis sex temonibus quasi vacerrae inter se ligantur, ita ut a posteriore parte, quae latior est, velut in caveam quadrupes possit induci, nec exire alia parte prohibentibus adversis axiculis. Primis autem duobus statuminibus imponitur firmum jugum, ad quod jumenta capistrantur, vel boum cornua religantur. Vbi possunt etiam numelli fabricari, ut inserto capite descendentibus per foramina regulis cervix teneatur. Caeterum corpus laqueatum & distentum temonibus obligatur, sicque immotum animal medentis arbitrio est expositum. Haec ipsa machina communis erit omnium majorum quadrupedum.

De tauri forma.

Cap. XX. Quoniam de bubus satis praecepimus, opportune de tauris vacciscque dicemus. Tauros maxime membris ampliſſimis, moribus placidis, media aetate, probandos censeo. Caetera fere eadem omnia in his observabimus, quae in bubus eligendis. Neque enim alio distat bonus taurus a castrato, nisi quod huic torva facies est, vegetior aspectus, breviora cornua, torosior cervix, & ita vasta,

ut sit maxima portio corporis, ventre paullo substrictiore, qui magis rectus, & ad ineundas foeminas habilis sit.

De forma vaccae.

CAP. XXI. Vaccae quoque probantur altissimae formae, longaeque, maximis uteris, frontibus latissimis, oculis nigris & patentibus, cornibus venustis & levibus & nigrantibus, pilosis auribus, compressis malis, palearibus & caudis amplissimis, ungulis modicis, & modicis cruribus. Caetera quoque fere eadem in foeminis, quae & in maribus, desiderantur, & praecipue, ut sint novellae: quoniam, cum excesserint annos decem, foetibus inutiles sunt. Rursus minores bimis iniri non oportet. Si ante tamen conceperint, partum earum removeri placet, ac per triduum, ne laborent, ubera exprimi, postea mulctra prohiberi.

Quotannis delectus faciendus.

CAP. XXII. Sed & curandum est omnibus annis in hoc aeque atque in reliquis gregibus pecoris, ut delectus habeatur. Nam & enixae, & vetustae, quae gignere desierunt, summovendae sunt, & utique taurae, quae locum foecundarum occupant, ablegandae, vel aratro domandae; quoniam laboris &

operis non minus quam juvenci, propter uteri sterilitatem, patientes sunt. Ejusmodi armentum maritima & aprica hiberna desiderat; aestate, opacissima nemorum, ac montium alta magis, quam plana pascua. Nam melius nemoribus herbidis, & frutetis, & carectis, quam lapidosis locis durantur ungulae. Nec tam fluvios rivosque desiderant, quam lacus manu factos; quoniam fluvialis aqua, quae fere frigidior est, partum abigit, & caelestis jucundior est. Omnis tamen externi frigoris tolerantior equino armento vacca est, ideoque facile sub dio hibernat.

De conseptis & stabulis faciendis.

CAP. XXIII. Sed laxo spatio consepta facienda sunt, ne in angustiis conceptum altera alterius elidat, & ut invalida fortioris ictus effugiat. Stabula sunt optima saxo aut glarea strata, non incommoda tamen etiam sabulosa. Illa, quod imbres respuant; haec, quod celeriter sorbeant, transmittantque. Sed utraque devexa sint, ut humorem effundant, spectentque ad meridiem, ut facile siccentur, & frigidis ventis non sint obnoxia. Levis autem cura pascui est. Nam ut laetior herba consurgat, fere ultimo tempore aestatis incenditur. Ea res & teneriora pabula recreat,

& ſentibus uſtis fruticem ſurrecturum in altitudinem compeſcit. Ipſis vero corporibus affert ſalubritatem juxta conſeptum ſaxis & canalibus ſal ſuperjectus, ad quem ſaturae pabulo libenter recurrunt, cum paſtorali ſigno quaſi receptui canitur. Nam id quoque ſemper crepuſculo fieri debet, ut ad ſonum buccinae pecus, ſi quod in ſilvis ſubſtiterit, ſepta repetere conſueſcat. Sic enim recognoſci grex poterit, numeruſque cenſeri, ſi veluti ex militari diſciplina intra ſtabularii caſtra manſerint. Sed non eadem in tauros exercentur imperia, qui freti viribus per nemora vagantur, liberoſque egreſſus redituſque habent, nec revocantur, niſi ad coitus foeminarum.

Quae aetas idonea ad admiſſuram.

Cap. XXIV. Ex his, qui quadrimis minores ſunt, majoreſque quam duodecim annorum, prohibentur admiſſura: illi, quoniam quaſi puerili aetate ſeminandis armentis parum habentur idonei; hi, quia ſenio ſunt effoeti. Menſe Julio foeminae maribus plerumque permittendae, ut eo tempore conceptos proximo vere adultis jam pabulis edant. Nam decem menſibus ventrem perferunt, neque ex imperio magiſtri, ſed ſua ſponte marem patiuntur. Atque in id fere, quod dixi, tem-

pus, naturalia congruunt desideria, quoniam nimietate verni pabuli pecudes exhilaratae lasciviunt. Quod si aut foemina recusat, aut non appetit taurus, eadem ratione, qua fastidientibus equis mox praecipiemus, elicitur cupiditas odore genitalium admoto naribus. Sed & pabulum circa tempus admissurae subtrahitur foeminis, ne eas steriles reddat nimia corporis obesitas; & tauris adjicitur, quo fortius ineant. Unumque marem quindecim vaccis sufficere abunde est. Qui ubi juvencam supervenit, certis signis comprehendere licet, quem sexum generaverit: quoniam si parte dextra desiluit, marem seminasse manifestum est; si laeva, foeminam. Id tamen verum esse non aliter apparet, quam ubi post unum coitum forda non admittit taurum: quod & ipsum raro accidit. Nam quamvis plena foetu non expletur libidine, adeo ultra naturae terminos etiam in pecudibus plurimum pollent blandae voluptatis illecebrae. Sed non dubium est, ubi pabuli sit laetitia, posse omnibus annis partum educari; at ubi penuria est, alternis submitti: quod maxime in operariis fieri placet, ut & vituli annui temporis spatio lacte satientur, nec forda simul operis & uteri gravetur onere. Quae

cum partum edidit, nisi cibis fulta est, quamvis bona nutrix, labore fatigata nato subtrahit alimentum. Itaque & foetae cytisus viridis & torrefactum ordeum, maceratumque ervum praebetur, vel tenero olere, commisto torrido molitoque milio, & per unam noctem lacte macerato, salivatur. Melius etiam in hos usus Altinae vaccae probantur, quas ejus regionis incolae Cevas appellant. Eae sunt humilis staturae, lactis abundantes, propter quod remotis earum foetibus, generosum pecus alienis educatur uberibus: vel si hoc praesidium non adest, faba fresa, & vinum recte tolerat, idque praecipue in magnis gregibus fieri oportet.

Remedia ad lumbricos vitulorum.

Cap. XXV. Solent autem vitulis nocere lumbrici, qui fere nascuntur cruditatibus. Itaque moderandum est, ut bene concoquant: aut si jam tali vitio laborant, lupini semicrudi conteruntur, & offae salivati more faucibus ingeruntur. Potest etiam cum arida sico & ervo conteri herba Santonica, & formata in offam, sicut salivatum demitti. Facit idem axungiae pars una tribus partibus hyssopi permista. Marrubii quoque succus & porri valet ejusmodi necare animalia.

De castrandis vitulis.

CAP. XXVI. Castrare vitulos Mago censet, dum adhuc teneri sunt, neque id ferro facere, sed fissa ferula comprimere testiculos, & paullatim confringere. Idque optimum genus castrationum putat, quod adhibetur aetati tenerae sine vulnere. Nam ubi jam induruit, melius bimus, quam anniculus castratur. idque facere vere vel autumno, luna decrescente, praecipit, vitulumque ad machinam deligare: deinde prius quam ferrum admoveas, duabus angustis ligneis regulis (veluti forcipibus) apprehendere testium nervos, quos Graeci πρεμαστῆρας ab eo appellant, quod ex illis genitales partes dependent. Quibus comprehensis, statim testes ferro resecare, & expressos ita rescindere, ut extrema pars eorum adhaerens praedictis nervis relinquatur. Nam hoc modo nec eruptione sanguinis periclitatur juvencus, nec in totum effoeminatur ademta omni virilitate; formaque servata maris, generandi vim deposuit, quam tamen ipsam non protinus amittit. Nam si patiaris eum a recenti curatione foeminam inire, constat ex eo posse generari; sed minime id permittendum, ne profluvio sanguinis intereat. Verum vulnera ejus sarmentitio cinere cum

argenti ſpuma linenda ſunt, abſtinenduſque eo die ab humore, & exiguo cibo alendus. Sequenti triduo velut aeger cacuminibus arborum, & deſecto viridi pabulo oblectandus, prohibenduſque multa potione. Placet etiam pice liquida & cinere, cum exiguo oleo ulcera ipſa poſt triduum linire, quo & celerius cicatricem ducant, nec a muſcis infeſtentur. Hactenus de bubus dixiſſe abunde eſt.

De equis.

CAP. XXVII. Quibus cordi eſt educatio generis equini, maxime convenit providere auctorem induſtrium, & pabuli copiam, quae utraque vel mediocria poſſunt aliis pecoribus adhiberi. Summam ſedulitatem, & largam ſatietatem deſiderat equinum pecus: quod ipſum tripartito dividitur. Eſt enim generoſa materies, quae circo, ſacriſque certaminibus equos praebet: eſt mularis, quae pretio foetus ſui comparatur generoſo; eſt & vulgaris, quae mediocres foeminas mareſque progenerat. Vt quaeque eſt praeſtantior, ita ubere campo paſcitur. Gregibus autem ſpatioſa & paluſtria, nec [non] montana paſcua eligenda ſunt, rigua, nec unquam ſiccanea, vacuaque magis, quam ſtirpibus impedita, frequenter mollibus potius quam proceris herbis abun-

dantia. Vulgaribus equis passim maribus ac foeminis pasci permittitur, nec admissurae certa tempora servantur. Generosis circa vernum aequinoctium mares jungentur, ut eodem tempore, quo conceperint, jam laetis & herbidis campis post anni messem parvo cum labore foetum educent. Nam mense duodecimo partum edunt. Maxime itaque curandum est praedicto tempore anni, ut tam foeminis quam admissariis desiderantibus coeundi fiat potestas, quoniam id praecipue armentum si prohibeas, libidinis extimulatur furiis, unde etiam veneno inditum est nomen ἱπομανές, quod equinae cupidini similem mortalibus amorem accendat. Nec dubium, quin aliquot regionibus tanto flagrent ardore coeundi foeminae, ut etiam si marem non habeant, assidua & nimia cupiditate figurantes sibi ipsae venerem (cohortalium more avium) vento concipiant. Quae enim poeta licentius dicit: "Scilicet ante omnes furor est insignis equarum. Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci Potniades malis membra absumsere quadrigae. Illas ducit amor trans Gargara, transque sonantem Ascanium, superant montes & flumina tranant, Continuoque avidis ubi subdita flamma medullis, Vere

magis, quia vere calor redit ossibus, illae Ore omnes versae in Zephyrum stant rupibus altis, Exceptantque leveis auras, & saepe sine ullis Conjugiis, vento gravidae (mirabile dictu) Saxa per & scopulos, & depressas convalles Diffugiunt, non Eure tuos neque solis ad ortus; In Boream, Caurumque, aut unde nigerrimus Auster Nascitur, & pluvio contristat frigore caelum". Cum sit notissimum etiam in Sacro monte Hispaniae, qui procurrit in occidentem juxta Oceanum, frequenter equas sine coitu ventrem pertulisse, foetumque educasse, qui tamen inutilis est, quod triennio, prius quam adolescat, morte absumitur. Quare, ut dixi, dabimus, operam, ne circa aequinoctium vernum equae desideriis naturalibus angantur. Equos autem pretiosos reliquo tempore anni removere oportet a feminis, ne aut cum volent, ineant, aut si id facere prohibeantur, cupidine solicitati noxam contrahant. Itaque vel in longinqua pascua marem placet ablegari, vel ad praesepia contineri: eoque tempore, quo vocatur a foeminis, roborandus est largo cibo, & appropinquante vere ordeo ervoque saginandus, ut veneri superfit, quantoque fortior inierit, firmiora semina praebeat futurae

ſtirpi. Quidam etiam praecipiunt eodem ritu, quo mulos, admiſſarium ſaginare, ut hac ſagina hilaris plurimis foeminis ſufficiat. Verum tamen nec minus quam quindecim, nec rurſus plures quam viginti, unus debet implere, iſque admiſſurae poteſt trimus adhiberi, & uſque ad annos viginti plerumque idoneus eſſe. Quod ſi admiſſarius iners in venerem eſt, odore perfricatur deterſis ſpongia foeminae locis, & admota naribus equi. Rurſus ſi equa marem non patitur, detrita ſcilla naturalia ejus linuntur, quae res accendit libidinem. Nonnunquam ignobilis quoque vulgaris elicit cupidinem coeundi. Nam ubi admotus fere tentavit obſequium, foemina abducitur, & jam patientiori generoſior equus imponitur. Inde major praegnantibus adhibenda cura eſt, largoque paſcuo firmandae. Quod ſi frigore hiemis herbae defecerint, tecto contineantur, ac neque opere, neque curſu exerceantur, neque frigori committantur, nec in anguſto clauſove, ne aliae aliarum conceptus elidant: nam haec omnia incommoda foetum abigunt. Quod tamen ſi aut partu, aut abortu equa laboravit, remedio erit ſilicula trita, & aqua tepida permiſta, dataque per cornu. Sin autem pro-

ſpere

spere cessit, minime manu contingendus pullus erit. Nam laeditur etiam laevissimo contactu. Tantum cura adhibebitur, ut & amplo & calido loco cum matre versetur, ne aut frigus adhuc infirmo noceat, aut mater in angustiis eum obterat. Paullatim deinde producendus erit, providendumque, ne stercore ungulas adurat. Mox cum firmior fuerit, in eadem pascua, in quibus mater est, dimittendus, ne desiderio partus sui laboret equa. Nam id praecipue genus pecudis amore natorum, nisi fiat potestas, noxam trahit. Vulgari foeminae solenne est omnibus annis parere, generosam convenit alternis continere, quo firmior pullus lacte materno laboribus certaminum praeparetur.

De aetate admissarii, & quis pullus generetur.

Cap. XXVIII. Marem putant minorem trimo non esse idoneum admissurae, posse vero usque ad vigesimum annum progenerare; foeminam bimam recte concipere, ut post tertium annum enixa foetum educet: eamque post decimum non esse utilem, quod ex annosa matre tarda sit atque iners proles. Quae sive ut foemina, sive ut masculus concipiatur, nostri arbitrii fore Democritus affirmat, qui praecipit, ut, cum progenerari

marem velimus, siniſtrum teſticulum admiſſarii lineo funiculo, aliove quolibet obligemus; cum foeminam, dextrum. Idemque in omnibus pene pecudibus faciendum cenſet.

De indole & forma equi.

Cap. XXIX. Cum vero natus eſt pullus, confeſtim licet indolem aeſtimare, ſi hilaris, ſi intrepidus, ſi neque conſpectu, novaeque rei auditu terretur, ſi ante gregem procurrit, ſi laſcivia & alacritate interdum & curſu certans aequales exuperat, ſi foſſam ſine cunctatione tranſilit, pontem flumenque tranſcendit. Haec erunt honeſti animi documenta. Corporis vero forma conſtabit exiguo capite, nigris oculis, naribus apertis, brevibus auriculis & arrectis, cervice molli lataque nec longa, denſa juba & per dextram partem profuſa, lato & muſculorum toris numeroſo pectore, grandibus armis & rectis, lateribus inflexis, ſpina duplici, ventre ſubſtricto, teſtibus paribus & exiguis, latis lumbis & ſubſidentibus, cauda longa & ſetoſa criſpaque, aequalibus atque altis rectiſque cruribus, tereti genu parvoque neque introrſus ſpectanti, rotundis clunibus, feminibus toroſis ac numeroſis, duris ungulis & altis & concavis rotundiſque, quibus coronae mediocres ſuper-

posítae sunt. Sic universim corpus compositum, ut sit grande, sublime, erectum, ab aspectu quoque agile, & ex longo, quantum figura permittit, rotundum. Mores autem laudantur, qui sunt ex placido concitati, & ex concitato mitissimi. Nam hi & ad obsequia reperiuntur habiles, & ad certamina laborum patientissimi. Equus bimus ad usum domesticum recte domatur; certaminibus autem, expleto triennio: sic tamen, ut post quartum demum annum labori committatur. Annorum notae cum corpore mutantur. Nam dum bimus & sex mensium est, medii dentes superiores & inferiores cadunt. Cum quartum agit annum, iis, qui canini appellantur, dejectis, alios affert. Intra sextum deinde annum, molares superiores cadunt. Sexto anno, quos primos mutavit, exaequat. Septimo omnes explentur aequaliter, & ex eo cavatos gerit. Nec postea quot annorum sit, manifesto comprehendi potest. Decimo tamen anno tempora cavari incipiunt, & supercilia nonnunquam canescere, & dentes prominere. Haec, quae ad animum, & mores, corpusque & aetatem pertinent, dixisse satis habeo. Nunc sequitur curam recte, & minus valentium demonstrare.

De cura & medicina equorum.

CAP. XXX. Si sanis est macies, celerius torrefacto tritico, quam ordeo reficitur. Sed & vini potio danda est, ac deinde paullatim ejusmodi cibi subtrahendi immistis ordeo furfuribus, dum consuescat faba & puro ordeo ali. Nec minus quotidie corpora pecudum, quam hominum defricanda sunt: ac saepe plus prodest pressa manu subegisse terga, quam si largissime cibos praebeas. Multum autem refert, robur corporis ac pedum servare. quod utrumque custodiemus, si idoneis temporibus ad praesepia, ad aquam, ad exercitationem pecus duxerimus, curaeque fuerit, ut stabulentur sicco loco, ne humore madescant ungulae. quod facile evitabimus, si aut stabula roboreis axibus constrata, aut diligenter subinde emundata fuerit humus, & paleae superjectae. Plerumque jumenta morbos concipiunt lassitudine, & aestu, nonnunquam & frigore, & cum suo tempore urinam non fecerint; vel si sudant, & a concitatione confestim biberint; vel si cum diu steterint, subito ad cursum extimulata sunt. Lassitudini quies remedio est, ita ut in fauces oleum, vel adeps vino mista infundatur. Frigori fomenta adhibentur, caputque & spina tepenti

adipe vel vino liniuntur. Si urinam non facit, eadem fere remedia sunt. Nam oleum immistum vino super ilia & renes infunditur: & si hoc parum profuit, melle decocto, & sale, collyrium tenue inditur foramini, quo meat urina, vel musca viva, vel thuris mica, vel de bitumine collyrium inseritur naturalibus. Haec eadem remedia adhibentur, si urina genitalia decusserit: Capitis dolorem indicant lacrymae, quae profluunt, aureſque flaccidae, & cervix cum capite aggravata, & in terram summissa. Tum rescinditur vena, quae sub oculo est, & os calda fovetur, ciboque abstinetur primo die. In postero autem potio jejuno tepidae aquae praebetur, ac viride gramen, tum vetus foenum, vel molle stramentum substernitur, crepusculoque aqua iterum datur, parumque ordei cum viciae lib. II. s. ut perexigua portione cibi ad justa perducantur. Si equo maxillae dolent, calido aceto fovendae, & axungia vetere confricandae sunt, eademque medicina tumentibus adhibenda est. Si armos laeserit, aut sanguinem demiserit, medio fere in utroque crure venae solvantur, & thuris polline cum eo, qui profluit, sanguine immisto, armi linantur, & ne plus justo exinaniatur, stercus

ipsius jumenti, fluentibus venis admotum, fasciis obligetur. Postero quoque die ex iisdem sanguis detrahatur, eodemque modo curetur, ordeoque abstineatur, exiguo foeno dato. Postridie deinde usque in diem sextum porri succus instar trium cyathorum mistus cum olei hemina faucibus per cornu infundatur. Post sextum diem lente ingredi cogatur, & cum ambulaverit, in piscinam demitti eum conveniet, ita ut natet: sic paullatim firmioribus cibis adjutus, ad justa perducetur. At si bilis molesta jumento est, venter intumescit, nec emittit ventos. Manus uncta inseritur alvo, & obsessi naturales exitus adaperiuntur, exemtoque stercore, postea cunila bubula & herba pedicularis cum sale trita & decocta melli miscentur, atque ita facta collyria subjiciuntur, quae ventrem movent, bilemque omnem deducunt. Quidam myrrhae tritae quadrantem cum hemina vini faucibus infundunt, & anum liquida pice oblinunt. Alii marina aqua lavant alvum, alii recenti muria. Solent etiam vermes quasi lumbrici nocere intestinis, quorum signa sunt, si jumenta cum dolore crebro volutantur, si admovent caput utero, si caudam saepius jactant. Praesens medicina est, ita ut supra scriptum est,

inſerere manum & ſimum eximere; deinde alvum marina aqua, vel muria dura lavare; poſtea radicem capparis tritam cum ſeſtario aceti faucibus infundere, nam hoc modo praedicta intereunt animalia.

Ad tuſſim.

Cap. XXXI. Omni autem imbecillo pecori alte ſubſternendum eſt, quo mollius cubet. Recens tuſſis celeriter ſanatur, pinſita lente & a valvulis ſeparata minuteque molita. Quae cum ita facta ſunt, ſextarius aquae calidae in eandem menſuram lentis miſcetur, & faucibus infunditur; ſimiliſque medicina triduo adhibetur, ac viridibus herbis, cacuminibuſque arborum recreatur aegrotum pecus. Vetus autem tuſſis diſcutitur porri ſucco trium cyathorum cum olei hemina faucibus infuſo, iiſdemque, ut ſupra monuimus, cibis praebitis. Impetigines, & quicquid ſcabies occupat, aceto & alumine defricantur. Nonnunquam, ſi haec permanent, paribus ponderibus permiſtis nitro & ſciſſo alumine, cum aceto linuntur. Papulae ferventiſſimo ſole uſque eo ſtrigile raduntur, quoad eliciatur ſanguis. Tum ex aequo miſcentur radices agreſtis herbae, ſulfurque & pix liquida cum alumine. & eo medicamine praedicta vitia curantur.

Ad intertriginem & scabiem.

CAP. XXXII. Intertrigo bis in die subluitur aqua calida. Mox decocto ac trito sale cum adipe defricatur, dum saniei vis emanat. Scabies mortifera huic quadrupedi est, nisi celeriter succurritur: quae, si levis est, inter initia candenti sub sole vel cedria vel oleo lentisci linitur, vel urticae semine & oleo detritis, vel unguine ceti, vel quod in lancibus salitus thynnus remittit. Praecipue tamen huic noxae salutaris est adeps marini vituli. Sed si jam inveteraverit, vehementioribus opus est remediis; propter quod bitumen, & sulfur, & veratrum pici liquidae, axungiaeque veteri commista, pari pondere incoquuntur, atque ea compositione curantur, ita ut prius scabies ferro erasa, perluatur urina. Saepe etiam scalpello usque ad vivum resecare & amputare scabiem profuit, atque ita factis ulceribus mederi liquida pice, atque oleo, quae expurgant, & replent vulnera aeque. Quae cum expleta sunt, & celerius cicatricem & pilum ducant, maxime proderit fuligo ex aheno ulceri infricata.

Ad muscas & oculorum dolores.

CAP. XXXIII. Muscas quoque, vulnera infestantes, sommovebimus pice & oleo, vel

unguine miſtis & infuſis. Caetera ervi farina recte curantur. Cicatrices oculorum jejuna ſaliva & ſale defricatae extenuantur: vel cum foſſili ſale trita ſepiae teſta, vel ſemine agreſtis paſtinacae pinſito, & per linteum ſuper oculos expreſſo. Omniſque dolor oculorum inunctione ſucci plantaginis cum melle acapno, vel ſi id non eſt, utique thymino celeriter levatur. Nonnunquam etiam per nares profluvium ſanguinis periculum attulit, idque repreſſum eſt infuſo naribus viridis coriandri ſucco.

Ad faſtidia ciborum & labem peſtiferam remedia.

Cap. XXXIV. Interdum & faſtidio ciborum langueſcit pecus. Ejus remedium eſt genus ſeminis, quod git appellatur: cujus duo cyathi triti adjunguntur olei cyathis tribus, & vini ſextario, atque ita faucibus infunduntur. Et nauſea diſcutitur etiam, ſi caput allii tritum cum vini hemina ſaepius potandum praebeas. Suppuratio melius ignea lamina, quam frigido ferramento reſeratur, & expreſſa poſtea linamentis curatur. Eſt etiam illa peſtifera labes, ut intra paucos dies equae ſubita macie, & deinde morte corripiantur. Quod cum accidit, quaternos ſextarios gari

singulis per nares infundere, utile est, si minoris formae sunt: nam si majoris, etiam congios. Ea res omnem pituitam per nares elicit, & pecudem expurgat.

De equarum rabie.

CAP. XXXV. Rara quidem, sed & haec est equarum nota rabies, ut cum in aqua imaginem suam viderint, amore inani capiantur, & per hunc oblitae pabuli, tabe cupidinis intereant. Ejus vesaniae signa sunt, cum per pascua veluti extimulatae concursant, subinde, ut circumspicientes requirere ac desiderare aliquid videantur. Mentis error discutitur, si deducas ad aquam. Tum demum speculatae deformitatem suam, pristinae imaginis abolent memoriam. Haec de universo equarum genere satis dicta sunt. Illa proprie praecipienda sunt iis, quibus mularum greges curae est submittere.

De mulis.

CAP. XXXVI. In educando genere mularum antiquissimum est, diligenter exquirere atque explorare parentem futurae prolis, foeminam & marem: quorum si alter non est idoneus, labat etiam, quod ex duobus fingitur. Equam convenit in annos decem, quo usque ampliſſimae atque pulcherrimae formae

sit, membris fortibus, patientissimam laboris, eligere, ut discordantem utero suo generis alieni stirpem insitam facile recipiat ac perferat, & ad foetum non solum corporis bona, sed & ingenii conferat. Nam cum difficulter injecta genitalibus locis animentur semina, tum etiam concepta diutius in partum adolescunt, ut quae peracto anno mense tertiodecimo vix eduntur, natisque inhaeret plus socordiae paternae, quam vigoris materni. Veruntamen ut equae dictos in usus minore cura reperiuntur, ita major est labor eligendi maris: quoniam saepe judicium probantis frustratur experimentum. Multi admissarii specie tenus mirabilissimam sobolem forma vel sexu progenerant. Nam sive parvi corporis foeminas fingant; sive etiam specioси plures mares, quam foeminas: reditum patrisfamiliae minuunt. At quidam contemti ab aspectu pretiosissimorum seminum feraces sunt. Nonnunquam aliqui generositatem suam natis exhibent, sed hebetes voluptate, rarissime solicitantur ad venerem. Hujuscemodi mari sensim magistri subadmovere debent generis ejusdem foeminam, quoniam similia similibus familiariora fecit natura. Ita enim efficitur, ut ejus objectu, cum mas etiam

ſuperjectu eblanditus eſt, velut incenſus & obcaecatus cupidine, ſubtracta quam petierat, faſtiditae imponatur equae.

Ad temperandam ſaevitiam admiſſarii in libidinem furentis.

CAP. XXXVII. Eſt & alterum genus admiſſarii furentis in libidinem, quod niſi aſtu inhibeatur, affert gregi perniciem. Nam & ſaepe vinculis abruptis gravidas inquietat, & cum admittitur, cervicibus dorſiſque foeminarum imprimit morſus. Quod ne faciat, pauliſper ad molam vinctus amoris ſaevitiam labore temperat, & ſic veneri modeſtior admittitur. Nec tamen aliter admittendus eſt etiam clementioris libidinis, quoniam multum refert naturaliter ſopitum pecudis ingenium modica exercitatione concuti, atque excitari, vegetioremque factum marem foeminae injungi, ut tacita quadam vi ſemina ipſa principiis agilioribus figurentur. Mula autem non ſolum ex equa & aſino, ſed ex aſina & equo, itemque onagro & equa generatur. Quidam vero non diſſimulandi auctores, ut Marcus Varro, & ante eum Dionyſius ac Mago prodiderunt, mularum foetus regionibus Africae adeo non prodigioſos haberi, ut tam familiares ſint incolis partus earum, quam ſint

nobis equarum. Neque tamen ullum est in hoc pecore aut animo aut forma praestantius, quam quod seminabit asinus; quanquam possit huic aliquatenus comparari, quod progenerat onager, nisi & indomitum, & servitio contumax silvestri more, strigosum patris praeferat habitum. Itaque ejusmodi admissarius nepotibus [magis] quam filiis utilior est. Nam ubi asina & onagro natus admittitur equae, per gradus infracta feritate quicquid ex eo provenit, paternam formam & modestiam, fortitudinem celeritatemque avitam refert. Qui ex equo & asina concepti generantur, quamvis a patre nomen traxerint, quod hinni vocantur, matri per omnia magis similes sunt. Itaque commodissimum est asinum destinare mularum generi seminando, cujus [ut dixi] species experimento est speciosior. Veruntamen ab aspectu non aliter probari debet, quam ut sit ampliſſimi corporis, cervice valida, robustis ac latis costis, pectore musculoso & vasto, feminibus lacertosis, cruribus compactis, coloris nigri vel maculosi. Nam murinus cum sit in asino vulgaris, tum etiam non optime respondet in mula. Neque nos universa quadrupedis species decipiat, si qualem probamus, conspici-

mus. Nam quemadmodum arietum, quae sunt in linguis & palatis maculae, plerumque in velleribus agnorum deprehenduntur: ita si discolores pilos asinus in palpebris aut auribus gerit, sobolem quoque frequenter facit diversi coloris, qui & ipse, etiam si diligentissime in admissario exploratus est, saepe tamen dominum decipit. Nam interdum etiam citra praedicta signa dissimiles sui mulas fingit. quod accidere non aliter reor, quam ut avitus color primordii seminis mistu reddatur nepotibus. Igitur qualem descripsi asellum, cum est a partu statim genitus, oportet matri statim subtrahi, & ignoranti equae subjici. Ea optime tenebris fallitur; nam obscuro loco partu ejus amoto, praedictus quasi ex ea natus alitur. Cui deinde cum decem diebus insuevit equa, semper postea destinanti praebet ubera. Sic nutritus admissarius equas diligere condiscit. Interdum etiam, quamvis materno lacte sit educatus, potest a tenero conversatus equis familiariter earum consuetudinem appetere. Sed non oportet minorem quam trimum admitti; atque idipsum si concedatur, vere fieri conveniet, cum & desecto viridi pabulo, & largo ordeo firmandus, nonnunquam etiam salivandus erit. Nec ta-

men tenerae foeminae committetur. Nam nisi prius ea marem cognovit, adsilientem admissarium calcibus proturbat, & injuria depulsum etiam caeteris equis reddit inimicum. Id ne fiat, degener & vulgaris asellus admovetur, qui solicitet obsequia foeminae: neque is tamen inire sinitur. Sed, si jam est equa veneris patiens, confestim abacto viliore, pretioso mari jungitur. Locus est ad hos usus extructus (machinam vocant rustici) qui duos parietes adverso clivulo inaedificatos habet, & angusto intervallo sic inter se distantes, ne foemina conluctari, aut admissario ascendenti avertere se possit. Aditus est ex utraque parte, sed ab inferiore clatris munitus: ad quae capistrata imo clivo constituitur equa, ut & prona melius ineuntis semina recipiat, & facilem sui tergoris ascensum ab editiori parte minori quadrupedi praebeat. Quae cum ex asino conceptum edidit, partum sequenti anno vacua nutrit. Id enim utilius est, quam quod quidam faciunt, ut & foetam nihilominus admisso equo impleant. Annicula mula recte a matre repellitur, & amota montibus aut feris locis pascitur, ut ungulas duret, sitque postea longis itineribus habilis. Nam clitellis aptior mu-

lus. Illa quidem agilior: sed uterque sexus & viam recte graditur, & terram commode proscindit; nisi pretium quadrupedis rationem rustici oneret, aut campus gravi gleba robora boum deposcat.

De medicinis eorum.

Cap. XXXVIII. Medicinas hujus pecoris plerumque jam in aliis generibus edocui: propria tamen quaedam vitia mularum non omittam, quorum remedia subscripsi. Febrienti mulae cruda braſſica datur. Suspiriosae sanguis detrahitur, & cum sextario vini atque olei thuris semuncia, marrubii succus instar heminae mistus infunditur. Suffraginosae ordeacea farina imponitur, mox suppuratio ferro recluſa linamentis curatur: vel gari optimi sextarius cum libra olei per narem sinistram demittitur, admiscetur que huic medicamini trium vel quatuor ovorum albus liquor, separatis vitellis. Feminae secari, & interdum inuri solent. Sanguis demissus in pedes, ita ut in equis, emittitur: vel si est herba, quam veratrum vocant rustici, pro pabulo cedit. Est ὑοσκύαμος, cujus semen detritum & cum vino datum praedicto vitio medetur. Macies & languor submovetur saepius

pius data potione, quae recipit semunciam triti furfuris, ovumque crudum, & tritae myrrhae pondus denarii. Haec tria vino admiscentur, atque ita faucibus infunduntur. Sed & tussi, dolorique ventris eadem ista aeque medentur. Ad maciem nulla res tantum, quantum Medica potest. Ea herba viridis, nec tarde tamen arida foeni vice saginat jumenta: verum modice danda, ne nimio sanguine stranguletur pecus. Lassae & aestuanti mulae adeps in fauces demittitur, merumque in os suffunditur. Caetera exequemur in mulis, sicut prioribus hujus voluminis partibus tradidimus, quae curam boum equarumque continent.

L. J. M. COLVMELLAE
DE
RE RVSTICA
LIBER SEPTIMVS

CAPVT I.

De asello.

DE minore pecore dicturis, Publi Silvine, principium tenebit minor Arcadiae vilis hic vulgarisque asellus, cujus plerique rusticarum rerum auctores in emendis tuendisque jumentis praecipuam rationem volunt esse; nec injuria. Nam etiam eo rure, quod pascuo caret, contineri potest, exiguo & qualicunque pabulo contentus. Quippe vel foliis spinisque, vel perticis salignis alitur, vel objecto fasce sarmentorum. Paleis vero, quibus pene omnes regiones abundant, etiam gliscit. Tum imprudentis custodis negligentiam fortissime sustinet: plagarum & penuriae tolerantissimus: propter quae tardius deficit, quam ullum aliud armentum. Nam laboris & famis maxime patiens, raro morbis afficitur. Hujus animalis tam exiguae tutelae plurima & necessaria opera supra portionem re-

spondent, cum & facilem terram, qualis in Baetica totaque Libye sit, levibus aratris proscindat, & non nimio pondere vehicula trahat. Saepe etiam, ut celeberrimus poeta memorat, — — "tardi costas agitator asselli, Vilibus aut onerat pomis, lapidemque revertens Incursum, aut atrae massam picis urbe reportat". Jam vero molarum, & conficiendi frumenti pene solennis est hujus pecoris labor. Quare omne rus tanquam maxime necessarium desiderat asellum, qui, ut dixi, pleraque utensilia & vehere in urbem, & reportare collo vel dorso commode potest. Qualis autem species ejus vel cura probatissima sit, superiore libro, cum de pretioso praeciperetur, satis dictum est.

De ovibus emendis tuendisque.

Cap. II. Post majores quadrupedes ovilli pecoris secunda ratio est, quae prima sit, si ad utilitatis magnitudinem referas. Nam id praecipue nos contra frigoris violentiam protegit, corporibusque nostris liberaliora praebet velamina. Tum etiam casei lactisque abundantia non solum agrestes saturat, sed etiam elegantium mensas jucundis & numerosis dapibus exornat. Quibusdam vero nationibus frumenti expertibus victum commo-

dat, ex quo Nomadum Getarumque plurimi γαλακτοπόται dicuntur. Igitur id pecus, quamvis molliſſimum ſit, ut ait prudentiſſime Celſus, valetudinis tutiſſimae eſt, minimeque peſtilentia laborat. Verum tamen eligendum eſt ad naturam loci: quod ſemper obſervari non ſolum in hoc, ſed etiam in tota ruris diſciplina Virgilius praecipit, cum ait: "Nec vero terrae ferre omnes omnia poſſunt". Pinguis & campeſtris ſitus proceras oves tolerat; gracilis & collinus quadratas; ſilveſtris & montoſus exiguas: pratis planiſque novalibus tectum pecus commodiſſime paſcitur. Idque non ſolum generibus, ſed etiam coloribus plurimum refert. Generis eximii Mileſias, Calabras, Appulaſque noſtri exiſtimabant, earumque optimas Tarentinas. Nunc Gallicae pretioſiores habentur, earumque praecipue Altinates. Item quae circa Parmam & Mutinam macris ſtabulantur campis. Color albus cum ſit optimus, tum etiam eſt utiliſſimus, quod ex eo plurimi fiunt, neque hic ex alio. Sunt etiam ſuapte natura pretio commendabiles pullus atque fuſcus, quos praebent in Italia Pollentia, in Baetica Corduba. Nec minus Aſia rutilos, quos vocant ἐρυθρούς. Sed & alias varietates in hoc pecoris genere do-

cuit usus exprimere. Nam cum in municipium Gaditanum ex vicino Africae miri coloris silvestres ac feri arietes, sicut aliae bestiae, munerariis deportarentur, M. Columella patruus meus, acris vir ingenii atque illustris agricola, quosdam mercatus in agros transtulit, & mansuefactos tectis ovibus admisit. Eae primum hirtos, sed paterni coloris, agnos ediderunt, qui deinde & ipsi Tarentinis ovibus impositi, tenuioris velleris arietes progeneraverunt. Ex his rursus quicquid conceptum est, maternam mollitiem, paternum & avitum retulit colorem. Hoc modo Columella dicebat, qualemcumque speciem, quae fuerit in bestiis, per nepotum gradus mitigata feritate, rediisse. Ad propositum revertar. Ergo duo genera sunt ovilli pecoris, molle & hirsutum. Sed in utroque vel emendo plura communia, quaedam tamen sunt propria generosi, quae observari conveniat. Communia in emendis gregibus fere illa. Si candor lanae maxime placet, nunquam non candidissimos mares legeris: quoniam ex albo saepe fuscus editur partus; ex erythraeo vel pullo nunquam generatur albus.

De arietibus eligendis.

Cap. III. Itaque non solum ea ratio est

probandi arietis, si vellere candido vestitur, sed etiam si palatum atque lingua concolor lanae est. Nam cum hae corporis partes nigrae, aut maculosae sunt, pulla vel etiam varia nascitur proles, idque inter caetera eximie talibus numeris significavit idem, qui supra: "Illum autem, quamvis aries sit candidus ipse, Nigra subest udo tantum cui lingua palato; Rejice, ne maculis infuscet vellera pullis Nascentum. Una eademque ratio est in erythraeis & nigris arietibus, quorum similiter (ut jam dixi) neutra pars esse debet discolor lanae, multoque minus ipsa universitas tergoris maculis variet. Ideo nisi lanatas oves emi non oportet, quo melius unitas coloris appareat: quae nisi praecipua est in arietibus, paternae notae plerumque natis inhaerent. Habitus autem maxime probatur, cum est altus atque procerus, ventre promisso atque lanato, cauda longissima, densique velleris, fronte lata, testibus amplis, intortis cornibus: non quia magis hic sit utilis, (nam est melior mutilus aries) sed quia minime nocent intorta potius, quam surrecta & patula cornua. Quibusdam tamen regionibus, ubi caeli status uvidus ventosusque est, capros & arietes optaverimus vel amplissimis

cornibus, quod ea porrecta altaque maximam partem capitis a tempestate defendant. Itaque si plerumque est atrocior hiems, hoc genus eligemus: si clementior, mutilum probabimus marem: quoniam est illud incommodum in cornuto, quod cum sentiat se velut quodam naturali telo capitis armatum, frequenter in pugnam procurrit, & fit in foeminas quoque procacior. Nam rivalem (quamvis solus admissurae non sufficit) violentissime persequitur, nec ab alio tempestivum patitur iniri gregem, nisi cum est fatigatus libidine. Mutilus autem, cum se tanquam exarmatum intelligat, nec ad rixam promptus est, & in venere mitior. Itaque capri vel arietis petulci saevitiam pastores hac astutia repellunt. Mensurae pedalis robustam tabulam configunt aculeis, & adversam fronti cornibus religant. Ea res ferum prohibet a rixa, cum stimulatum suo ictu ipsum se sauciat. Epicharmus autem Syracusanus, qui pecudum medicinas diligentissime conscripsit, affirmat pugnacem arietem mitigari terebra secundum auriculas foratis cornibus, qua curvantur in flexu. Ejus quadrupedis aetas ad progenerandum optima est trima: nec tamen inhabilis usque in annos octo. Foemina post bimatum maritari debet,

juveniſque habetur quinquennis: fatiſcit poſt annum ſeptimum. Igitur, ut dixi, mercaberis oveis intonſas: variam & canam comam improbabis, quod ſit incerti coloris. Majorem trima dente minacem ſterilem repudiabis. Eliges bimam vaſti corporis, cervice prolixa, prolixi villi, nec aſperi, lanoſi & ampli uteri. Nam vitandus eſt glaber & exiguus. Atque haec fere communia ſunt in comparandis ovibus. illa etiam tuendis: humilia facere ſtabula, ſed in longitudinem potius, quam in latitudinem porrecta, ut ſimul hieme calida ſint, nec anguſtiae foetus oblidant. Ea poni debent contra medium diem: namque id pecus, quamvis ex omnibus animalibus veſtitiſſimum, frigoris tamen impatientiſſimum eſt, nec minus aeſtivi vaporis. Itaque cohors clauſa ſublimi macerie praeponi veſtibulo debet, ut ſit in eam tutus exitus aeſtivandi. deturque opera, ne quis humor ſubſiſtat, ut ſemper quam aridiſſimis filicibus, vel culmis ſtabula conſtrata ſint, quo purius & mollius incubent foetae. Sint quala mundiſſima, ne qua earum valetudo, quae praecipue cuſtodienda eſt, infeſtetur uligine. Omni autem pecudi larga praebenda ſunt alimenta. Nam vel exiguus numerus, cum pabulo ſa-

tiatur, plus domino reddit, quam maximus grex, si senserit penuriam. Sequeris autem novalia, non solum herbida, sed quae plerumque vidua sunt spinis, utamur enim saepius auctoritate divini carminis: "Si tibi lanitium curae est, primum aspera silva, Lappaeque tribulique absint". Quoniam ea res, ut ait idem, scabras oves reddit, "cum tonsis illotus adhaesit Sudor; & hirsuti secuerunt corpora vepres": cum etiam quotidie minuitur lana, quae quanto prolixior in pecore concrescit, tanto magis obnoxia est rubis, quibus velut hamis inuncata, a pascentium tergoribus avellitur. Molle vero pecus etiam velamen, quo protegitur, amittit, atque id non parvo sumtu reparatur. Inter auctores fere constat, primum esse admissurae tempus vernum Parilibus, si sit ovis matura; sin vero foeta, circa Julium mensem. Prius tamen haud dubie probabilius, ut messem vindemia, fructum deinde vineaticum foetura pecoris excipiat, & totius autumni pabulo satiatus agnus ante moestitiam frigorum, atque hiemis jejunium, confirmetur. Nam melior est autumnalis verno, sicut ait verissime Celsus, quia magis ad rem pertinet, ut ante aestivum quam hibernum solstitium convalescat: soluss-

que ex omnibus animalibus bruma commode naſcitur. Ac ſi res exigit, ut plurimi mares progenerandi ſint, Ariſtoteles, vir callidiſſimus rerum naturae, praecipit, admiſſurae tempore obſervare ſiccis diebus halitus ſeptemtrionales, ut contra ventum gregem paſcamus, & eum ſpectans admittatur pecus: at ſi foeminae generandae ſunt, auſtrinos flatus captare, ut eadem ratione matrices ineantur. Nam illud, quod priore libro docuimus, ut admiſſarii dexter, vel etiam ſiniſter vinculo teſticulus obligetur, in magnis gregibus operoſum eſt. Poſt foeturam deinde longinquae regionis paſcua petiturus opilio, fere omnem ſobolem paſtioni reſervet ſuburbanae: villicus enim teneros agnos, dum adhuc herbae ſunt expertes, lanio tradit, quoniam & parvo ſumptu devehuntur, & iis ſubmotis, fructus lactis ex matribus non minor percipitur. Submitti tamen etiam in vicinia urbis quandoque oportebit. Nam vernaculum pecus peregrino longe eſt utilius: nec committi debet, ut totus grex effoetus ſenectute dominum deſtituat: cum praeſertim boni paſtoris vel prima cura ſit, annis omnibus in demortuarum vitioſarumque ovium locum totidem, vel etiam plura capita, ſubſtituere: quoniam ſaepe

frigorum atque hiemis saevitia pastorem decipit, & eas oves interimit, quas ille tempore autumni, ratus adhuc esse tolerabiles, non submoverat. Quo magis etiam propter hos casus, nisi validissima, quae non comprehendatur hieme, novaque progenie repleatur numerus. Quod qui faciet, servare debebit, ne minori quadrimae, neve ei, quae excessit annos octo, prolem submittat. Neutra enim aetas ad educandum est idonea: tum etiam, quod ex vetere materia nascitur, plerumque congeneratum parentis senium refert. Nam vel sterile vel imbecillum est. Partus vero incipientis pecoris non secus, quam obstetricum more custodiri debet. Neque enim aliter hoc animal, quam muliebris sexus enititur, saepiusque etiam quanto est omnis rationis ignarum, laborat in partu. Quare veterinariae medicinae prudens esse debet pecoris magister, ut, si res exigat, vel integrum conceptum, cum transversus haeret locis genitalibus, extrahat: vel ferro divisum, citra matris perniciem, partum educat, quod Graeci vocant ἐμβρυοθλιβεῖν. Agnus autem, cum est editus, erigi debet, atque uberibus admoveri, tum etiam ejus diductum os pressis humectare papillis, ut condiscat maternum trahere

alimentum. Sed prius quam hoc fiat, exiguum emulgendum est, quod pastores colostram vocant: ea nisi aliquatenus emittitur, nocet agno: qui biduo, quo natus est, cum matre clauditur, ut & ea partum suum foveat, & ille matrem agnoscere condiscat. Mox deinde quamdiu non lascivit, obscuro & calido septo custodiatur. Postea luxuriantem virgea cum comparibus area claudi oportebit, ne velut puerili nimia exultatione macescat: cavendumque est, ut tenerior separetur a validioribus, quia robustus angit imbecillum. satisque est mane prius quam grex procedat in pascua; deinde etiam crepusculo redeuntibus saturis ovibus admiscere agnos. Qui cum firmi esse coeperint, pascendi sunt intra stabulum cytiso, vel Medica, tum etiam furfuribus, aut, si permittat annona, farina ordei vel ervi: deinde, ubi convaluerint, circa meridiem pratis aut novalibus villae continuis matres admovendae sunt, & a septo emittendi agni, ut condiscant foris pasci. De genere pabuli, ut & ante diximus, & nunc eorum, quae omissa sunt, meminerimus, jucundissimas herbas esse, quae aratro proscissis arvis nascantur; deinde quae pratis uligine carentibus; palustres silvestresque minime

idoneas haberi. Nec tamen ulla sunt tam blanda pabula, aut etiam pascua, quorum gratia non exolescat usu continuo, nisi pecudum fastidio pastor occurrerit praebito sale, quod velut ad pabuli condimentum per aestatem canalibus ligneis impositum, cum e pastu redierint oves, lambunt, atque eo sapore cupidinem bidendi pascendique concipiunt. At contra penuriae hiemis succurritur objectis intra tectum per praesepia cibis. Aluntur autem commodissime repositis ulmeis, vel ex fraxino frondibus, vel autumnali foeno, quod cordum vocatur. Nam id mollius, & ob hoc jucundius est, quam maturum. Cytiso quoque & sativa vicia pulcherrime pascuntur. Necessariae tamen, ubi caetera defecerunt, etiam ex leguminibus paleae. Nam per se ordeum, vel fresa cum suis valvulis faba, vel cicercula, sumptuosior est, quam ut suburbanis regionibus exiguo pretio possit praeberi: sed si vilitas permittit, haud dubie sunt optima. De temporibus autem pascendi, & ad aquam ducendi non aliter sentio, quam ut prodidit Maro: "Luciferi primo cum sidere frigida rura Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent, Et ros in tenera pecori gratissimus herba. Inde ubi quarta

ſitim caeli collegerit hora, Ad puteos, aut alta greges ad ſtagna" — perducamus, medioque die, ut idem, ad vallem: "Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus Ingenteis tendit ramos, aut ſicubi nigrum Ilicibus crebris ſacra nemus accubat umbra". Rurſus deinde jam mitigato vapore compellamus ad aquam. [etiam per aeſtatem id faciendum,] & iterum ad paſcua producamus: "Solis ad occaſum, cum frigidus aëra veſper Temperat, & ſaltus reficit jam roſida luna". Sed obſervandum eſt ſidus aeſtatis per emerſum Caniculae, ut ante meridiem grex in occidentem ſpectans agatur, & in eam partem progrediatur, poſt meridiem in orientem. Siquidem plurimum refert, ne paſcentium capita ſint obverſa ſoli, qui plerumque nocet animalibus oriente praedicto ſidere. Hieme, & vere matutinis temporibus intra ſepta contineantur, dum dies arvis gelicidia detrahat. Nam pruinoſa iis diebus herba pecudi gravedinem creat, ventremque proluit. Quare etiam frigidis humidiſque temporibus anni ſemel tantum ei poteſtas aquae facienda eſt. Tum qui ſequitur gregem, circumſpectus ac vigilans (id quod omnibus & omnium quadrupedum cuſtodibus praecipitur) magna cle-

mentia moderetur. Idemque duci propior quam domino, & in cogendis recipiendisque ovibus adclamatione ac baculo minetur: nec unquam telum emittat in eas: neque ab his longius recedat: nec aut recubet, aut considat. Nam nisi procedit, stare debet, quoniam [grex] quidem custodis officium, sublimem, celsissimamque oculorum veluti speculam desiderat, ut neque tardiores, & gravidas, dum cunctantur, neque agiles & foetas, dum procurrunt, separari a caeteris sinat, ne fur, aut bestia hallucinantem pastorem decipiat. Sed haec communia fere sunt in omni pecore ovillo. Nunc quae sunt generosi propria dicemus.

De ovibus tectis.

Cap. IV. Graecum pecus, quod plerique Tarentinum vocant, nisi cum domini praesentia est, vix expedit haberi: siquidem & curam & cibum majorem desiderat. Nam cum sit universum genus lanigerum caeteris pecudibus mollius, tum ex omnibus Tarentinum est mollissimum, quod nullam domini, aut magistrorum inertiam sustinet, multoque minus avaritiam; nec aestus, nec frigoris patiens. Raro foris, plerumque domi alitur, & est avidissimum cibi; cui si detrahitur fraude

villici, clades sequitur gregem. Singula capita per hiemem recte pascuntur ad praesepia tribus ordei, vel fresae cum suis valvulis fabae, aut cicerculae quatuor sextariis, ita ut & aridam frondem praebeat, aut siccam vel viridem Medicam, cytisumve, tum etiam cordi foeni septena pondo, aut leguminum paleas adfatim. Minimus agnis vendundis in hac pecude, nec ullus lactis reditus haberi potest. Nam & qui submoveri debent, pauciſſimos post dies quam editi sunt, immaturi fere mactantur; orbaeque natis suis matres alienae soboli praebent ubera. Quippe singuli agni binis nutricibus submittuntur, nec quicquam subtrahi submissis expedit, quo saturior lactis agnus celeriter confirmetur, & parta nutrici consociata minus laboret in educatione foetus sui. Quam ob causam diligenti cura servandum est, ut & suis quotidie matribus, & alienis non amantibus, agni subrumentur. Plures autem in ejusmodi gregibus, quam in hirtis masculos enutrire oportet. Nam prius quam foeminas inire possint mares castrati, cum bimatum expleverint, enecantur, & pelles eorum propter pulchritudinem lanae majore pretio, quam alia vellera, mercantibus traduntur. Liberis autem

cam-

campis, & omni ſurculo ruboque vacantibus ovem Graecam paſcere meminerimus, ne, ut ſupra dixi, & lana carpatur, & tegumen. Nec tamen ea minus ſedulam curam foris, quia non quotidie procedit in paſcua, ſed majorem domeſticam poſtulat. Nam ſaepius detegenda & refrigeranda eſt: ſaepius ejus lana diducenda, vinoque & oleo inſuccanda: nonnunquam etiam tota eſt eluenda, ſi diei permittit apricitas; idque ter anno fieri ſat eſt. Stabula vero frequenter everrenda & purganda, humorque omnis urinae diverrendus eſt, qui commodiſſime ſiccatur perforatis tabulis, quibus ovilia conſternuntur, ut grex ſupercubet. Nec tantum coeno, aut ſtercore, ſed exitioſis quoque ſerpentibus tecta liberentur: quod ut fiat, "Diſce & odoratam ſtabulis incendere cedrum, Galbaneoque agitare graves nidore chelydros. Saepe ſub immotis praeſepibus aut mala tactu Vipera delituit, caelumque exterrita fugit; Aut tecto aſſuetus coluber". Quare, ut idem jubet, — "cape ſaxa manu, cape robora paſtor, Tollentemque minas, & ſibila colla tumentem Dejice". Vel ne iſtud cum periculo facere neceſſe ſit, muliebres capillos, aut cervina ſaepius ure cornua: quorum odor ma-

xime non patitur ſtabulis praedictam peſtem conſiſtere. Tonſurae certum tempus anni per omnes regiones ſervari non poteſt: quoniam nec ubique tarde, nec celeriter aeſtas ingruit: & eſt modus optimus conſiderare tempeſtates, quibus ovis neque frigus, ſi lanam detraxeris, neque aeſtum, ſi nondum detonderis, ſentiat. Verum ea quandocunque detonſa fuerit, ungi debet tali medicamine. ſuccus excocti lupini, veteriſque vini fex, & amurca pari menſura miſcentur, eoque liquamine tonſa ovis imbuitur, atque ubi per triduum delibuto tergore medicamina perbiberit, quarto die, ſi eſt vicinia maris, ad littus deducta merſatur: ſi minus eſt, caeleſtis aqua ſub dio ſalibus in hunc uſum durata paullum decoquitur, eaque grex perluitur. Hoc modo curatum pecus anno ſcabrum fieri non poſſe Celſus affirmat: nec dubium eſt, quin etiam ob eam rem lana quoque mollior atque prolixior renaſcatur.

Medicinae pecoris ovilli.

Cap. V. Et quoniam recenſuimus cultum, curamque recte valentium, nunc quemadmodum vitiis, aut morbo laborantibus ſubveniendum ſit, praecipiemus: quanquam pars haec exordii pene tota jam exhauſta ſit, cum

de medicina majoris pecoris priore libro disputaremus. Quia cum sit fere eadem corporum natura minorum majorumque quadrupedum, paucae, parvaeque morborum & remediorum differentiae possunt inveniri: quae tamen quantulaecunque sint, non omittentur a nobis. Si aegrotat universum pecus, ut & ante praecepimus, & nunc (quod remur esse maxime salutare) iterum adseveramus, in hoc casu [quod est remedium praesentissimum] pabula mutemus, & aquationes totius regionis, & alium quaeramus statum caeli, curemusque, si ex calore & aestu concepta pestis invasit, ut opaca rura: si invasit frigore, ut eligantur aprica. Sed modice ac sine festinatione persequi pecus oportebit, ne imbecillitas ejus longis itineribus aggravetur: nec tamen in totum pigre ac segniter agere. Nam quemadmodum fessas morbo pecudes vehementer agitare & extendere non convenit, ita conducit mediocriter exercere, & quasi torpentes excitare, nec pati veterno consenescere, atque extingui. Cum deinde grex ad locum fuerit perductus, in lacinias colonis distribuatur. Nam particulatim facilius quam universus convalescit, sive quia ipsius morbi halitus minor est in exiguo nu-

mero, seu quia expeditius cura major adhibetur paucioribus. Haec ergo, & reliqua (ne nunc eadem repetamus) quae superiore exordio percensuimus, observare debemus, si universae laborabunt: illa, si singulae. Oves frequentius, quam ullum aliud animal infestantur scabie; quae fere nascitur, sicut noster memorat poeta, "Cum frigidus imber Altius ad vivum persedit, & horrida cano Bruma gelu". vel post tonsuram, si remedium praedicti medicaminis non adhibeas, si aestivum sudorem mari vel flumine non abluas, si tonsum gregem patiaris silvestribus rubis ac spinis sauciari, si stabulo utaris, in quo mulae aut equi, aut asini steterunt: praecipue tamen exiguitas cibi maciem, macies autem scabiem facit. Haec ubi coepit irrepere, sic intelligitur: vitiosum locum pecudes aut morsu scalpunt, aut cornu, vel ungula tundunt, aut arbori adfricant, parietibusve detergent: quod ubi aliquam facientem videris, comprehendere oportebit, & lanam diducere: nam subest aspera cutis, & velut quaedam prurigo. Cui primo quoque tempore occurrendum est, ne totam progeniem coinquinet, & quidem celeriter, cum & alia pecora, tum praecipue oves contagione vexen-

tur. Sunt autem complura medicamina, quae idcirco enumerabimus, non quia cunctis utī neceſſe ſit, ſed quoniam nonnullis regionibus quaedam reperiri nequeunt, ex pluribus aliquod inventum remedio ſit. Facit autem commode primum ea compoſitio, quam paullo ante demonſtravimus, ſi ad fecem & amurcam, ſuccumque decocti lupini miſceas portione aequa detritum album elleborum. Poteſt etiam ſcabriciem tollere ſuccus viridis cicutae: quae verno tempore, cum jam caulem, nec adhuc ſemina facit, deciſa contunditur, atque expreſſus humor ejus fictili vaſe reconditur, duabus urnis liquoris, admiſto ſalis torridi ſemodio. Quod ubi factum eſt, oblitum vas in ſterquilinio defoditur, ac toto anno fimi vapore concoctum, mox promitur: tepefactumque medicamentum linitur ſcabrae parti, quae prius aſpera teſta, vel pumice defricta redulceratur. Eidem remedio eſt amurca duabus partibus decocta: item vetus hominis urina teſtis candentibus inuſta. Quidam tamen hanc ipſam ſubjectis ignibus quinta parte minuunt, admiſcentque pari menſura ſuccum viridis cicutae: deinde figularibus tritis, & picis liquidae, & fricti ſalis ſingulos ſextarios infundunt. Facit etiam ſulfuris triti,

& picis liquidae modus aequalis igne lento coactus. SedGeorgicum carmen affirmat, nullam esse praestantiorem medicinam, "Quam si quis ferro potuit rescindere summum Ulceris os: alitur vitium, vivitque tegendo". Itaque referandum est, & ut caetera vulnera medicamentis curandum. Subjicit deinde aeque prudenter, febricitantibus ovibus de talo vel inter duas ungulas sanguinem emitti oportere: nam plurimum id quidem "Profuit incensos aestus avertere, & inter Ima ferire pedis salientem sanguine venam" Nos etiam sub oculis & de auribus sanguinem detrahimus. Clavi quoque dupliciter infestant ovem, sive cum subluvies atque intertrigo in ipso discrimine ungulae nascitur: seu cum idem locus tuberculum habet, cujus media fere parte canino similis extat pilus, eique subest vermiculus. Subluvies & intertrigo pice per se liquida, vel alumine & sulfure atque aceto mistis litae eruentur, vel tenero punico malo, prius quam grana faciat, cum alumine pinsito, superfusoque aceto, vel aeris aerugine infriata, vel combusta galla cum austero vino levigata & superposita. Tuberculum, cui subest vermiculus, ferro quam cautissime circumsecari oportet, ne, dum amputatur, etiam,

quod infra est, animal vulneremus: id enim cum fauciatur, venenatam saniem mittit, qua resperſum vulnus ita insanabile facit, ut totus pes amputandus sit: & cum tuberculum diligenter circumcideris, candens sevum vulneri per ardentem tedam instillato. Ovem pulmonariam similiter, ut suem, curari convenit, inserta per auriculam, quam veterinarii consiliginem vocant: de ea jam diximus, cum majoris pecoris medicinam tradidimus. Sed is morbus aestate plerumque concipitur, si defuit aqua, propter quod vaporibus omni quadrupedi largius bibendi potestas danda est. Celso placet, si est in pulmonibus vitium, acris aceti tantum dare, quantum ovis sustinere possit: vel humanae veteris urinae tepefactae trium heminarum instar per siniſtram narem corniculo infundere, atque axungiae sextantem faucibus inferere. Est etiam insanabilis sacer ignis, quam pusulam vocant pastores: ea nisi compescitur intra primam pecudem, quae tali malo correpta est, universum gregem contagione prosternit: siquidem nec medicamentorum, nec ferri remedia patitur. Nam pene ad omnem tactum excandescit: sola tamen [ea] fomenta non aspernatur lactis caprini, quod infusum tantum valet,

ut eblandiatur igneam saevitiam, differens magis occidionem gregis, quam prohibens. Sed Aegyptiae gentis auctor memorabilis, Bolus Mendesius, cujus commenta, quae appellantur Graece ὑπομνήματα, sub nomine Democriti falso produntur, censet propter hanc saepius ac diligenter ovium terga perspicere, ut si forte sit in aliqua tale vitium deprehensum, confestim scrobem defodiamus in limine stabuli, & vivam pecudem, quae fuerit pusulosa, resupinam obruamus, patiamurque super obrutam meare totum gregem, quod eo facto morbus propulsetur. Bilis aestivo tempore non minima pernicies potione depellitur humanae veteris urinae, quae ipsa remedio est etiam pecori arcuato. At si molesta pituita est, cunelae bubulae, vel nepetae silvestris surculi lana involuti naribus inseruntur, versanturque, donec sternutet ovis. Fracta pecudum non aliter quam hominum crura sanantur, involuta lanis, oleo atque vino insuccatis, & mox circumdatis ferulis conligata. Est etiam gravis pernicies herbae sanguinariae, quam si pasta est ovis, toto ventre distenditur, contrahiturque, & spumam quandam tenuem tetri odoris expuit. Celeriter sanguinem mitti oportet sub cauda in ea parte,

quae proxima est clunibus, nec minus in labro superiore vena solvenda est. Suspiriose laborantibus, auriculae ferro rescindendae, mutandaeque regiones; quod in omnibus morbis ac pestibus fieri debere censemus. Agnis quoque succurrendum est vel febricitantibus, vel aegritudine alia affectis. Qui ubi morbo laborant, admitti ad matres non debent, ne in eas perniciem transferant. Itaque separatim mulgendae sunt oves, & caelestis aqua pari mensura lacti miscenda est, atque ea potio febricitantibus danda. Multi lacte caprino iisdem medentur, quod per corniculum infunditur faucibus. Est etiam mentigo, quam pastores ostiginem vocant, mortifera lactentibus. Ea plerumque fit, si per imprudentiam pastoris emissi agni, vel etiam hoedi rosidas herbas depaverint, quod minime committi oportet. Sed cum id factum est, velut ignis sacer, os atque labra foedis ulceribus obsidet. Remedio sunt hyssopus & sal aequis ponderibus contrita. Nam ea mistura palatum atque lingua, totumque os perfricatur. Mox ulcera lavantur aceto, & tunc pice liquida, cum adipe suillo perlinuntur. Quibusdam placet aeruginis tertiam partem duabus veteris axungiae portionibus commiscere, tepe-

factoque uti medicamine. Non nulli folia cupreſſi trita miſcent aquae, & ita perluunt ulcera atque palatum. Caſtrationis autem ratio jam tradita eſt. Neque enim alia in agnis, quam in majore quadrupede ſervatur.

De caprino pecore.

Cap. VI. Et quoniam de oviario ſatis dictum eſt, ad caprinum pecus nunc revertar. Id autem genus dumeta potius, quam campeſtrem ſitum deſiderat: aſperiſque etiam locis ac ſilveſtribus optime paſcitur. Nam nec rubos averſatur, nec vepribus offenditur, & arbuſculis frutetiſque maxime gaudet. Ea ſunt arbutus, atque alaternus, cytiſuſque agreſtis, nec minus ilignei querneique frutices, qui in altitudinem non proſiliunt. Caper, cui ſub maxillis binae verruculae collo dependent, optimus habetur, ampliſſimi corporis, cruribus craſſis, plena & brevi cervice, flaccidis & praegravantibus auribus, exiguo capite, nigro, denſoque & nitido, atque longiſſimo pilo. Nam & ipſe tondetur "Uſum in caſtrorum ac miſeris velamina nautis". Eſt autem menſium ſeptem ſatis habilis ad procreandum: quoniam immodicus libidinis, dum adhuc uberibus alitur, matrem ſtupro ſupervenit, & ideo celeriter, & ante ſex an-

nos conſeneſcit, quod immatura veneris cupidine primis pueritiae temporibus exhauſtus eſt. Itaque quinquennis parum idoneus habetur foeminis implendis. Capella praecipue probatur ſimillima hirco, quem deſcripſimus, ſi etiam eſt uberis maximi & lactis abundantiſſimi. Hanc pecudem mutilam parabimus quieto caeli ſtatu: nam procelloſo atque imbrifero cornuta ſemper. Nam & omni regione maritos gregum mutilos eſſe oportebit: quoniam cornuti fere pernicioſi ſunt propter petulantiam. Sed numerum hujus generis majorem, quam centum capitum ſub uno clauſo non expedit habere, cum lanigerae mille pariter commode ſtabulentur. Atque ubi caprae primum comparantur, melius eſt unum gregem totum, quam ex pluribus particulatim mercari, ut nec in paſtione ſeparatim laciniae diducantur, & in caprili majore concordia quiete conſiſtant. Huic pecudi nocet aeſtus, ſed magis frigus, & praecipue foetae, quae gelicidio hiemis conceptum fecit. Nec tamen ea ſola creant abortus, ſed etiam glans cum citra ſatietatem data eſt; itaque niſi poteſt affatim praeberi, non eſt gregi permittenda. Tempus admiſſurae per autumnum fere ante menſem Decembrem praecipimus,

ut propinquante vere, gemmantibus frutetis, [cum primum silvae nova germinant fronde,] partus edatur. Ipsum vero caprile vel naturali saxo, vel manu constratum eligi debet, quoniam huic pecori nihil substernitur. Diligensque pastor quotidie stabulum converrit, nec patitur stercus aut humorem consistere, lutumve fieri, quae cuncta sunt capris inimica. Parit autem, si est generosa proles, frequenter duos, nonnunquam trigeminos. Pessima est foetura cum matres binae, ternos hoedos efficiunt. Qui ubi editi sunt, eodem modo, quo agni educantur, nisi quod magis hoedorum lascivia compescenda, & arctius cohibenda est. Tum super lactis abundantiam samera, vel cytisus, aut edera praebenda, vel etiam cacumina lentisci, aliaeque tenues frondes objiciendae sunt. Sed ex geminis singula capita, quae videntur esse robustiora, in supplementum gregis reservantur, caetera mercantibus traduntur. Anniculae vel bimae capellae (nam utraque aetas partum edit) submitti hoedum non oportet. Neque enim educare nisi trima debet. Sed anniculae confestim depellenda soboles. Bimae tamdiu admittenda, dum possit esse vendibilis. Nec ultra octo annos matres servandae sunt, quod

assiduo partu fatigatae, steriles existant. Magister autem pecoris acer, durus, strenuus, laboris patientissimus, alacer atque audax esse debet, & qui per rupes, per solitudines, per vepres facile vadat, & non, ut alterius generis pastores, sequatur, sed plerumque ut antecedat gregem. Quare eum esse maxime strenuum opus est. Capellae, dum dumeta pascunt, capris cedunt. subinde quae cedit compesci debet, ne procurrat, sed placide ac lente pabuletur, ut & largi sit uberis, & non strigosissimi corporis.

De medicina caprarum.

Cap. VII. Alia [namque] genera pecorum, cum pestilentia vexantur, prius morbo & languoribus marcescunt, solae capellae, quamvis opimae atque hilares, subito concidunt, velut aliqua ruina gregatim prosternantur. Id accidere maxime solet ubertate pabuli. Quamobrem statim cum unam vel alteram pestis perculit, omnibus sanguis detrahendus: nec tota die pascendae, sed mediis quatuor horis intra septa claudendae. Sin alius languor infestat, pabulo medicantur arundinis, & albae spinae radicibus, quas cum ferreis pilis diligenter contuderimus, admiscemus aquam pluvialem, solamque potan-

dam pecori praebemus. Quod si ea res aegritudinem non depellit, vendenda sunt pecora; vel, si neque id contingere potest, ferro necanda saliendaque. Mox interposito spatio, conveniet alium gregem reparare. Nec tamen antequam pestilens tempus anni, sive id fuit hyemis, vertatur aestate, sive autumni, vere mutetur. Cum vero singulae domo laborabunt, eadem remedia, quae etiam ovibus, adhibebimus. Nam cum distendetur aqua cutis, quod vitium Graeci vocant ὕδρωπα, sub armo pellis leviter incisa pernicioſum transmittet humorem, tum factum vulnus pice liquida curetur. Cum effoetae loca genitalia tumebunt, aut secundae non responderint, defruti sextarius; vel cum id defuerit, boni vini tantundem faucibus infundatur, & naturalia cerato liquido repleantur. Sed ne nunc singula persequar, sicut in ovillo pecore praedictum est, caprino medebimur.

Casei faciendi ratio.

Cap. VIII. Casei quoque faciendi non erit omittenda cura, utique longinquis regionibus, ubi mulctram devehere non expedit. Is porro, si tenui liquore conficitur, quam celerrime vendendus est, dum adhuc viridis succum retinet: si pingui & opimo, longiorem pati-

tur cuſtodiam. ſed lacte fieri debet ſincero & quam recentiſſimo. Nam requietum vel miſtum, celeriter acorem concipit. Id plerumque cogi agni aut hoedi coagulo; quamvis poſſit & agreſtis cardui flore conduci, & feminibus cneci, nec minus ficulneo lacte, quod emittit arbor, ſi ejus virentem ſaucies corticem. Verum optimus caſeus eſt, qui exiguum medicaminis habet. Minimum autem coagulum recipit ſinum lactis argentei pondus denarii. Nec dubium quin fici ramulis glaciatus caſeus jucundiſſime ſapiat. Sed mulctra, cum eſt repleta lacte, non ſine tepore aliquo debet eſſe. Nec tamen admovenda eſt flammis, ut quibuſdam placet, ſed haud procul igne conſtituenda, & confeſtim cum concrevit liquor, in fiſcellas aut in calathos, vel formas transferendus eſt. Nam maxime refert primo quoque tempore ſerum percolari, & a concreta materia ſeparari. Quam ob cauſam ruſtici nec patiuntur quidem ſua ſponte pigro humore defluere, ſed cum paullo ſolidior caſeus factus eſt, pondera ſuperponunt, quibus exprimatur ſerum: deinde ut formis aut calathis exemptus eſt, opaco, ac frigido loco, ne poſſit vitiari, quamvis mundiſſimis tabulis componitur, aſpergitur tritis

salibus, ut exudet acidum liquorem: atque ubi duratus est, vehementius premitur, ut conspissetur. & rursus torrido sale contingitur, rursusque ponderibus condensatur. Hoc cum per dies novem factum est, aqua dulci eluitur, & sub umbra cratibus in hoc factis, ita ordinatur, ne alter alterum caseus contingat, & ut modice siccetur: deinde, quo tenerior permaneat, clauso, neque ventis obnoxio loco stipatur, per complura tabulata. Sic neque fistulosus, neque salsus, neque aridus provenit. Quorum vitiorum primum solet accidere, si parum pressus; secundum, si nimio sale imbutus; tertium, si sole exustus est. Hoc genus casei potest etiam trans maria permitti. Nam is, qui recens intra paucos dies absumi debet, leviore cura conficitur. Quippe siscellis exemptus, in salem muriamque demittitur, & mox in sole paullum siccatur. Nonnulli antequam pecus numellis inducant, virides pineas nuces in mulctram demittunt, & mox super eas emulgent, nec separant, nisi cum transmiserint in formas coactam materiam. Ipsos quidam virides conterunt nucleos, & lacti permiscent, atque ita congelant. Sunt qui thymum contritum, cribroque colatum cum lacte cogant. Similiter

qualis-

qualiſcunque velis ſaporis efficere poſſis, adjecto quod elegeris condimento. Illa vero notiſſima eſt ratio faciendi caſei, quem dicimus manu preſſum. Namque is paullum gelatus in mulctra dum eſt tepefactus, reſcinditur, & fervente aqua perfuſus, vel manu figuratur, vel buxeis formis exprimitur. Eſt etiam non ingrati ſaporis muria perduratus, atque ita malini ligni, vel culmi fumo coloratus. Sed jam redeamus ad originem.

De ſuibus & eorum medicinis.

CAP. IX. In omni genere quadrupedum ſpecies maris diligenter eligitur, quoniam frequenter patri ſimilior eſt progenies, quam matri. Quare etiam in ſuillo pecore probandi ſunt totius quidam corporis amplitudine eximii, & qui quadrati potius, quam qui longi, aut rotundi ſunt, ventre promiſſo, clunibus vaſtis, nec perinde cruribus aut ungulis proceris, amplae & glanduloſae cervicis, roſtris brevibus & reſupinis. Maximeque quod ad rem pertinet, quam ſalaciſſimos oportet eſſe mares, qui & ab annicula aetate commode progenerant, dum quadrimatum agant: poſſunt tamen etiam ſemeſtres implere foeminam. Scrofae probantur longiſſimi ſtatus, & ut ſint reliquis membris ſimiles deſcriptis ver-

ribus. Si regio frigida & pruinosa est, quam durissimae, densaeque & nigrae setae grex eligendus est. Si temperata, atque aprica, glabrum pecus, vel etiam pistrinale album potest pasci. Foemina sus habetur ad partus edendos idonea fere usque in annos septem, quae quanto foecundior est, celerius senescit. Annicula non improbe concipit, sed iniri debet mense Februario. Quatuor quoque mensibus foeta, quinto parere; cum jam herbae solidiores sunt, ut & firma lactis maturitas porcis contingat, & cum desierint uberibus ali, stipula pascantur, caeterisque leguminum caducis frugibus. Hoc autem fit longinquis regionibus, ubi nihil nisi submittere expedit. Nam suburbanis lactens porcus aëre mutandus est: sic enim mater non educando, labori subtrahitur, celeriusque iterum conceptum partum edet. idque bis anno faciet. Mares, vel cum primum ineunt semestres, aut cum saepius progeneraverunt, trimi aut quadrimi castrantur, ut possint pinguescere. Foeminis quoque vulvae ferro exulcerantur, & cicatricibus clauduntur, ne sint genitales. quod facere, non intelligo, quae ratio compellat, nisi penuria cibi. Nam ubi est ubertas pabuli, submittere prolem semper expedit.

Omnem porro ſitum ruris pecus hoc uſurpat. Nam & montibus, & campis commode paſcitur, melius tamen paluſtribus agris, quam ſitientibus. Nemora ſunt convenientiſſima, quae veſtiuntur quercu, ſubere, fago, cerris, ilicibus, oleaſtris, tamaricibus, corylis, pomiferiſque ſilveſtribus, ut ſunt albae ſpinae, Graecae ſiliquae, juniperus, lotos, pinus, cornus, arbutus, prunus & paliurus, atque achrades pyri. Haec enim diverſis temporibus miteſcunt, ac pene toto anno gregem ſaturant. At ubi penuria eſt arborum, terrenum pabulum conſectabimur, & ſicco limoſum praeferemus, ut paludem rimentur, effodiantque lumbricos, atque in luto volutentur, quod eſt huic pecori gratiſſimum; quin etiam, ut aquis abuti poſſint: namque & id feciſſe maxime per aeſtatem profuit, & dulceis eruiſſe radiculas aquatilis ſilvae, tanquam ſcirpi, juncique, & degeneris arundinis, quam vulgus cannam vocat. Nam cultus quidem ager opimas reddit ſues, cum eſt graminoſus, & pluribus generibus pomorum conſitus, ut per anni diverſa tempora, mala, pruna, pyrum, multiformes nuces ac ficum praebeat. Nec tamen propter haec parcetur horreis. Nam ſaepe de manu dandum eſt,

cum foris deficit pabulum; propter quod plurima glans vel ciſternis in aquam, vel fumo tabulatis recondenda eſt. Fabae quoque & ſimilium leguminum, cum vilitas permittit, facienda eſt poteſtas, & utique vere, dum adhuc lactent viridia pabula, quae ſuibus plerumque nocent. Itaque mane priuſquam procedant in paſcua, conditivis cibis ſuſtinendae ſunt, ne immaturis herbis citetur alvus, eoque vitio pecus emacietur, nec ut caeteri greges univerſi claudi debent, ſed per porticus harae faciendae ſunt, quibus aut a partu, aut etiam praegnantes includantur. Nam praecipue ſues catervatim atque inconditae cum ſint pariter incluſae, ſuper alias aliae cubant, & foetus elidunt. Quare, ut dixi, junctae parietibus harae conſtruendae ſunt in altitudinem pedum quatuor, ne ſus tranſilire ſepta queat. Nam contegi non debet, ut a ſuperiore parte cuſtos numerum porcorum recenſeat, & ſi quem decumbens mater oppreſſerit, cubanti ſubtrahat. Sit autem vigilans, impiger, induſtrius, navus. Omnium, quas paſcit, & matricum & juniorum meminiſſe debet, ut uniuſcujuſque partum conſideret. Semper obſervet enitentem, claudatque, ut in hara foetum edat. Tum

denotet protinus quotque & quales ſint nati, & curet maxime, ne quis ſub nutrice aliena educetur: nam facillime porci, ſi evaſerint haram, miſcent ſe, & ſcrofa cum decubuit, aeque alieno ac ſuo praebet ubera. Itaque porculatoris maximum officium eſt, ut unamquamque cum ſua prole claudat. qui ſi memoria deficitur, quo minus agnoſcat cujuſque progeniem, pice liquida eandem notam ſcrofae & porcis imponat, & ſive per literas, ſive per alias formas unumquemque foetum cum matre diſtinguat. Nam in majore numero diverſis notis opus eſt, ne confundatur memoria cuſtodis. Attamen quia id facere gregibus amplis videtur operoſum; commodiſſimum eſt haras ita fabricare, ut limen earum in tantam altitudinem conſurgat, quantum poſſit nutrix evadere: lactens autem ſupergredi non poſſit. Sic nec alienus irrepit, & in cubili ſuam quiſque matrem nidus expectat, qui tamen non debet octo capitum numerum excedere. Non quia ignorem foecunditatem ſcrofarum majoris eſſe numeri; ſed quia celerrime fatiſcit, quae plures educat. Atque eae, quibus partus ſubmittitur, cocto ſunt ordeo ſuſtinendae, ne ad maciem ſummam perducantur, & ex ea ad aliquam

perniciem. Diligens autem porculator frequenter ſuile converrat, & ſaepius haras. Nam quamvis praedictum animal in pabulationem ſpurce verſetur, mundiſſimum tamen cubile deſiderat. Hic fere cultus eſt pecoris ſuilli recte valentis.

De medicina ſuum.

Cap. X. Sequitur ut dicamus, quae ſit cura vitioſi. Febricitantium ſigna ſunt, cum obſtipae ſues tranſverſa capita ferunt, ac per paſcua ſubito, cum paullulum procurrerunt, conſiſtunt, & vertigine correptae concidunt. Earum notanda ſunt capita, quam in partem proclinentur, ut ex adverſa parte de auricula ſanguinem mittamus. Item ſub cauda duobus digitis a clunibus intermiſſis venam feriamus, quae eſt in eo loco ſatis ampla, eamque ſarmento prius oportet verberari, deinde ab ictu virgae tumentem ferro reſcindi, detractoque ſanguine colligari ſaligneo libro, vel etiam ulmeo. Quod cum fecerimus, uno aut altero die ſub tecto pecudem continebimus, & aquam modice calidam, quantam volent, ſarinaeque ordeaceae ſingulos ſextarios praebebimus. Strumoſis ſub lingua ſanguis mittendus eſt, qui cum profluxerit, ſale trito cum farina triticea confricari totum os con-

veniet. Quidam praesentius putant esse remedium, cum per cornu singulis ternos cyathos gari demittunt. Deinde fissas taleas ferularum lineo funiculo religant: & ita collo suspendunt, ut strumae ferulis contingantur. Nauseantibus quoque salutaris habetur eburnea scobis sali frícto & fabae minute fresae commista, jejunisque prius, quam in pascua prodeant, objecta. Solet etiam universum pecus aegrotare ita, ut emacietur, nec cibos capiat, productumque in pascua medio campo procumbat, & quodam veterno pressum somnos aestivo sub sole captet. quod cum facit, totus grex tecto clauditur stabulo, atque uno die abstinetur potione, & pabulo. Postridie radix anguinei cucumeris trita & commista cum aqua datur sitientibus: quam cum pecudes biberunt, nausea correptae vomitant, atque expurgantur, omnique bile depulsa, cicercula, vel faba dura muria consperſa, deinde (sicut hominibus) aqua calida potanda permittitur. Sed cum omni quadrupedi per aestatem sitis sit infesta, tum suillo maxime est inimica. Quare non, ut capellam vel ovem, sic & hoc animal bis ad aquam duci praecipimus: sed si fieri potest, juxta flumen, aut stagnum per ortum Caniculae de-

tineri: quia cum sit aestuosissimum, non est contentum potione aquae, nisi obesam illuviem atque distentam pabulis, alvum demerserit ac refrigeraverit: nec ulla re magis gaudet, quam rivis atque coenoso lacu volutari. Quod si locorum situs repugnat, ne ita fieri possit, puteis extracta & large canalibus immissa praebenda sunt pocula, quibus nisi affatim satientur, pulmonariae fiunt. Isque morbus optime sanatur auriculis inserta consiligine: de qua radicula diligenter ac saepius jam locuti sumus. Solet etiam vitiosi splenis dolor eas infestare, quod accidit, cum siccitas magna provenit, &, ut Bucolicon loquitur poëma: "Strata jacent passim sua quaeque sub arbore poma". Nam pecus insatiabile est. Sues enim, dum dulcedinem pabuli consectantur supra modum, aestate splenis incremento laborant. Cui succurritur, si fabricentur canales ex tamaricibus & rusco, repleanturque aqua, & deinde sitientibus admoveantur. Quippe ligni succus medicabilis, epotus intestinum tumorem compescit.

De castratione suum.

Cap. XI. Castrationis autem in hoc pecore duo tempora servantur, veris & autumni: & ejus administrandae duplex ratio.

Prima illa, quam jam tradidimus, cum duobus vulneribus impressis per unamquamque plagam singuli exprimuntur testiculi. Altera est speciosior, sed magis periculosa, quam tamen non omittam. Cum virilem partem unam ferro resectam detraxeris, per impressum vulnus scalpellum inserito, & mediam quasi cutem, quae intervenit duobus membris genitalibus, rescindito, atque uncis digitis alterum quoque testiculum educito: sic fiet una cicatrix adhibitis caeteris remediis, quae prius docuimus. Illud autem, quod pertinet ad religionem patrisfamilias, non reticendum putavi. Sunt quaedam scrofae, quae mandunt foetus suos: quod cum fit, non habetur prodigium. Nam sues ex omnibus pecudibus impatientissimae famis sunt, ita ut aliquando, si indigeant pabuli, non tantum alienam (si liceat) sobolem, sed etiam suam consumant. De armentis, caeterisque pecudibus & magistris, per quos quadrupedum greges humana solertia domi forisque curantur atque observantur, (nisi fallor) satis accurate differui.

De canibus.

Cap. XII. Nunc ut exordio priore sum pollicitus, de mutis custodibus loquar. quam-

quam canis falso dicitur mutus custos. Nam quis hominum clarius, aut tanta vociferatione bestiam vel furem praedicat, quam iste latratu? quis famulus amantior domini? quis fidelior comes? quis custos incorruptior? quis excubitor inveniri potest vigilantior? quis denique ultor aut vindex constantior? Quare vel in primis hoc animal mercari, tuerique debet agricola, quod & villam, & fructus, familiamque, & pecora custodit. Ejus autem parandi tuendique triplex ratio est. Namque unum genus adversus hominum insidias eligitur, & id villam, quaeque juncta sunt villae, custodit. at alterum propellendis injuriis hominum ac ferarum; & id observat domi stabulum, foris pecora pascentia. Tertium venandi gratia comparatur; idque non solum nihil agricolam juvat, sed & avocat, desidemque ab opere suo reddit. De villatico igitur & pastorali dicendum est: nam venaticus nihil pertinet ad nostram professionem. Villae custos eligendus est amplissimi corporis, vasti latratus canorique, ut prius auditu maleficum, deinde etiam conspectu terreat, & tamen nonnunquam, ne visus quidem, horribili fremitu suo fuget insidiantem. Sit autem coloris unius, isque magis eligatur al-

bus in pastorali, niger in villatico: nam varius in neutro est laudabilis. Pastor album probat, quoniam est ferae dissimilis, magnoque opus interdum discrimine est in propulsandis lupis sub obscuro mane vel etiam crepusculo, ne si non sit albo colore conspicuus, pro lupo canem feriat. Villaticus, qui hominum maleficiis opponitur, sive luce clara fur advenerit, terribilior niger conspicitur: sive nocte, ne conspicitur quidem propter umbrae similitudinem, quamobrem tectus tenebris [canis] tutiorem accessum habeat ad insidiantem. Probatur quadratus potius quam longus aut brevis, capite tam magno, ut corporis videatur pars maxima, dejectis & propendentibus auribus, nigris vel glaucis oculis acri lumine radiantibus, amplo villosoque pectore, latis armis, cruribus crassis & hirtis, cauda brevi, vestigiorum articulis & unguibus ampliſſimis, qui Graece δρακαὶ appellantur. Hic erit villatici canis status praecipue laudandus. Mores autem neque mitissimi, neque rursus truces atque crudeles; quod illi furem quoque adulantur, hi etiam domesticos invadunt. Satis est, severos esse nec blandos, ut nonnunquam etiam conservos iratius intueantur, semper excandescant in exteros. Maxime au-

tem debent in custodia vigilaces conspici, nec erronei, sed assidui & circumspecti magis, quam temerarii. Nam illi, nisi quod certum compererunt, non indicant: hi vano strepitu & falsa suspicione concitantur. Haec idcirco memoranda credidi, quia non natura tantum, sed etiam disciplina mores facit, ut cum emendi potestas fuerit, ejusmodi probemus; & cum educabimus domi natos, talibus institutis formemus. Nec multum refert, an villatici corporibus graves & parum veloces sint: plus enim cominus & in gradu, quam eminus & in spatioso cursu facere debent. Nam semper circa septa & intra aedificium consistere, imo ne longius quidem recedere debent, satisque pulchre funguntur officio, si & advenientem sagaciter odorantur, & latratu conterrent, nec patiuntur propius accedere, vel constantius appropinquantem violenter invadunt. Primum est enim non adtentari, secundum est lacessitum fortiter & perseveranter vindicari. Atque haec de domesticis custodibus, illa de pastoralibus. Pecuarius canis neque tam strigosus aut pernix debet esse, quam qui damas cervosque, & velocissima sectatur animalia, nec tam obesus aut gravis, quam villae horreique custos: sed & ro-

buſtus nihilominus, & aliquatenus promptus ac ſtrenuus, quoniam & ad rixam, & ad pugnam, nec minus ad curſum comparatur, cum & lupi repellere inſidias, & raptorem ferum conſequi fugientem, praedam excutere atque auferre debeat. Quare ſtatus ejus longior productiorque ad hos caſus magis habilis eſt, quam brevis, aut etiam quadratus: quoniam (ut dixi) nonnunquam neceſſitas exigit celeritate beſtiam conſectandam. Caeteri artus ſimiles membris villatici canis aeque probantur. Cibaria fere eadem ſunt utrique generi praebenda. Nam ſi tam laxa rura ſunt, ut ſuſtineant pecorum greges, omnes ſine diſcrimine canes ordeacea farina cum ſero commode paſcit. Sin autem ſurculo conſitus ager ſine paſcuo eſt, farreo vel triticeo pane ſatiandi ſunt, admiſto tamen liquore coctae fabae, ſed tepido: nam fervens rabiem creat. Huic quadrupedi neque foeminae, neque mari, niſi poſt annum permittenda venus eſt: quae ſi teneris conceditur, carpit & corpus & vires, animoſque degenerat. Primus effoetae partus admovendus eſt, quoniam tiruncula nec recte nutrit, & educatio totius habitus aufert incrementum. Mares juveniliter uſque in annos decem progenerant: poſt id tempus ineundis foeminis non videntur habiles, quo-

niam ſeniorum pigra ſoboles exiſtit. Foeminae concipiunt uſque in annos novem, nec ſunt utiles poſt decimum. Catulos ſex menſibus primis, dum corroborentur, emitti non oportet, niſi ad matrem luſus ac laſciviae cauſa. Poſtea & catenis per diem continendi & noctibus ſolvendi. Nec unquam eos, quorum generoſam volumus indolem conſervare, patiemur alienae nutricis uberibus educari: quoniam ſemper & lac, & ſpiritus maternus longe magis ingenii, atque incrementa corporis auget. Quod ſi effoeta lacte deficitur, caprinum maxime conveniet praeberi catulis; dum fiant menſium quatuor. Nominibus autem non longiſſimis appellandi ſunt, quo celerius quiſque vocatus exaudiat: nec tamen brevioribus, quam quae duabus ſyllabis enuntientur, ſicuti Graecum eſt σκύλαξ, Latinum *ferox*, Graecum λάκων, Latinum *celer*: vel foemina, ut ſunt Graeca σπεδὴ, ἀλκὴ, ῥώμη: Latina, *lupa*, *cerva*, *tigris*. Catulorum caudas poſt diem quadrageſimum, quam ſint editi, ſic caſtrare conveniet: nervus eſt, qui per articulos ſpinae prorepit uſque ad ultimam partem caudae: is mordicus comprehenſus, & aliquatenus eductus abrumpitur: quo facto, neque in longitudinem cauda foedum capit incrementum, & (ut plurimi pa-

flores affirmant) rabies arcetur, letifer morbus huic generi.

De moribus & medicinis canum.

CAP. XIII. Fere autem per aestatem sic muscis aures canum exulcerantur, saepe ut totas amittant: quod ne fiat, amaris nucibus contritis liniendae sunt. Quod si ulceribus jam praeoccupatae fuerint, coctam picem liquidam suillae adipi vulneribus stillari conveniet. Hoc eodem medicamine contacti ricini decidunt. Nam manu non sunt vellendi, ne, ut ante praedixeram, faciant ulcera. Pulicosae cani remedia sunt: sive cyminum tritum pari pondere, cum veratro, aquaque mistum & inlinitum. seu cucumeris anguinei succus: vel si haec non sunt, vetus amurca per totum corpus infusa. Si scabies infestabit, cytisi & sisami tantundem conterito, & cum pice liquida permisceto, vitiosamque partem linito: quod medicamentum putatur etiam hominibus esse conveniens. Eadem pestis, si fuerit vehementior, cedrino liquore aboletur. Reliqua vitia, sicut in caeteris animalibus praecepimus, curanda sunt. Hactenus de minore pecore. Mox de villaticis pastionibus, quae continent volucrum, piscumque, & silvestrium quadrupedum curam, sequenti volumine praecipiemus.

L. J. M. COLVMELLAE
DE
RERVSTICA
LIBER OCTAVVS

CAPVT I.

De villaticis pastionibus.

QVAE fere consummabant, Publi Silvine, ruris exercendi colendique scientiam, quaeque pecuariae negotiationis exigebat ratio, septem memoravimus libris. Hic nunc sequentis numeri titulum possidebit: nec quia proximam propriamque rustici curam desiderent ea, quae dicturi sumus, sed quia non alio loco, quam in agris aut villis debeant administrari, & tamen agrestibus magis, quam urbanis prosint. Quippe villaticae pastiones, sicut pecuariae, non minimam colono stipem conferunt, cum & avium stercore macerrimis vineis, & omni surculo atque arvo medeantur; & eisdem familiarem focum mensamque pretiosis dapibus opulentent; postremo venditorum animalium pretio villae reditum augeant. Quare de hoc quoque genere pastionis dicendum censui. Est autem id fere

vel

vel in villa, vel circa villam. In villa est, quod appellant Graeci ὀρνιθῶνας, καὶ περιστερεῶνας. Atque etiam cum datur liquoris facultas ἰχθυοτροφεῖα, sedula cura exercentur. Ea sunt omnia, ut Latine potius loquamur, sicut avium cohortalium stabula, nec minus earum, quae conclavibus septae saginantur, vel aquatilium animalium receptacula. Rursus circa villam ponuntur μελισσῶνες καὶ χηνοτροφεῖα, quin etiam λαγοτροφεῖα studiose administrantur, quae nos similiter appellamus apum cubilia, apiaria; vel nantium volucrum, quae stagnis piscinisque laetantur, aviaria; vel etiam pecudum silvestrium, quae nemoribus clausis custodiuntur, vivaria.

De gallinarum generibus, gallis cohortalibus parandis & nutriendis.

Cap. II. Prius igitur de his praecipiam, quae intra septa villae pascuntur. Ac de aliis quidem forsitan ambigitur, an sint agrestibus possidenda: gallinarum vero plerumque agricolae cura solennis est. Earum genera sunt vel cohortalium, vel rusticarum vel Africanarum. Cohortalis est avis, quae vulgo per omnes fere villas conspicitur: rustica, quae non dissimilis villaticae per aucupem decipitur; eaque plurima est in insula, quam nau-

tae in Liguſtico mari ſitam producto nomine alitis Gallinariam vocitaverunt: Africana eſt, quam plerique Numidicam dicunt, Meleagridi ſimilis, niſi quod rutilam galeam & criſtam capite gerit, quae utraque ſunt in Meleagride caerulea. Sed ex his tribus generibus cohortales foeminae proprie appellantur gallinae, mares autem galli, ſemimares capi, qui hoc nomine vocantur, cum ſint caſtrati libidinis abolendae cauſa. Nec tamen id patiuntur amiſſis genitalibus, ſed ferro candente calcaribus inuſtis, quae cum ignea vi conſumpta ſunt, facta ulcera dum conſaneſcant, figulari creta linuntur. Hujus igitur villatici generis non ſpernendus eſt reditus, ſi adhibeatur educandi ſcientia, quam plerique Graecorum, & praecipue celebravere Deliaci. Sed & ii, quoniam procera corpora, & animos ad praelia pertinaces requirebant, praecipue Tanagricum genus & Rhodium probabant, nec minus Chalcidicum & Medicum, quod ab imperito vulgo litera mutata Melicum appellatur. Nobis noſtrum vernaculum maxime placet: omiſſo tamen illo ſtudio Graecorum, qui ferociſſimum quemque alitem certaminibus & pugnae praeparabant. Nos enim cenſemus inſtituere vectigal induſtrii patrisfamilias, non rixoſarum avium laniſtae, cujus plerumque

totum patrimonium, pignus aleae, victor gallinaceus pyctes abstulit. Igitur cui placebit sequi nostra praecepta, consideret oportet primum quam multas, & cujusmodi parare debeat matrices; deinde qualiter eas tueri & pascere; mox quibus anni temporibus earum partus excipere; tum demum, ut incubent & excludant efficere; postremo, ut commode pulli educentur operam dare. His enim curis & ministeriis exercetur ratio cohortalis, quam Graeci vocant ὀρνιθοτροφίαν. Parandi autem modus est ducentorum capitum, quae pastoris unius curam distendant: dum tamen anus sedula vel puer adhibeatur custos vagantium, ne obsidiis hominum, aut insidiosorum animalium diripiantur. Mercari porro nisi foecundissimas aves non expedit. Eae sint rubicundae vel fuscae plumae, nigrisque pennis: ac si fieri poterit, omnes hujus, & ab hoc proximi coloris eligantur. Sin aliter, evitentur albae; quae fere cum sint molles ac minus vivaces, tum ne foecundae quidem facile reperiuntur: atque etiam conspicuae, propterque insigne candoris ab accipitribus & aquilis saepius abripiuntur. Sint ergo matrices probi coloris [robusti corporis], quadratae, pectorosae, magnis capitibus, rectis

rutilisque cristulis, albis auribus, & sub hac specie quam amplissimae, nec paribus unguibus: generosissimaeque creduntur, quae quinos habent digitos, sed ita ne cruribus emineant transversa calcaria. Nam quae hoc virile gerit insigne, contumax ad concubitum dedignatur admittere marem, raroque foecunda, etiam cum incubat, calcis aculeis ova perfringit. Gallinaceos mares nisi salacissimos habere non expedit. Atque in his quoque sicut in foeminis, idem color, idemque numerus unguium, status altior quaeritur: sublimes, sanguineaeque, nec obliquae cristae: ravidi, vel nigrantes oculi: brevia & adunca rostra: maximae candidissimaeque aures: paleae ex rutilo albicantes, quae velut incanae barbae dependent: jubae deinde variae, vel ex auro flavae, per colla cervicesque in humeros diffusae: tum lata & musculosa pectora, lacertosaeque similes brachiis alae, tum procerissimae caudae, duplici ordine singulis utrinque prominentibus pinnis inflexae: quin etiam vasta femina & frequenter horrentibus plumis hirta: robusta crura, nec longa, sed infestis velut fudibus nocenter armata. Mores autem quamvis non ad pugnam, neque ad victoriae laudem praeparentur, maxime tamen generosi probantur, ut

sint elati, alacres, vigilaces, & ad saepius canendum promti, nec qui facile terreantur: nam interdum resistere debent, & protegere conjugalem gregem: quin attollentem minas serpentem, vel aliud noxium animal interficere. Talibus autem maribus quinae singulis foeminae comparantur. Nam Rhodii generis, aut Medici propter gravitatem, neque patres nimis salaces, nec foecundae matres: quae tamen ternae singulis maritantur. Et cum pauca ova posuerunt, inertes ad incubandum, multoque magis ad excludendum, raro foetus suos educant. Itaque quibus cordi est ea genera propter corporum speciem possidere, cum exceperunt ova generosarum, vulgaribus gallinis subjiciunt, & ab his exclusi pulli nutriuntur. Tanagrici plerumque Rhodiis & Medicis amplitudine pares, non multum moribus a vernaculis distant, sicut & Chalcidici. Omnium tamen horum generum nothi sunt optimi pulli, quos conceptos ex peregrinis maribus, nostrates ediderunt. Nam & paternam speciem gerunt, & salacitatem foecunditatemque vernaculam retinent. Pumiliones aves, nisi quem humilitas earum delectat, nec propter foecunditatem, nec propter alium reditum nimium probo, tam her-

cule, quam nec pugnacem, nec rixoſae libidinis marem. Nam plerumque caeteros infeſtat, & non patitur iniri foeminas, cum ipſe pluribus ſufficere non queat. Impedienda eſt itaque procacitas ejus ampullaceo corio; quod cum in orbiculum formatum eſt, media pars ejus reſcinditur, & per exciſam partem galli pes inſeritur: eaque quaſi compede cohibentur feri mores. Sed, ut propoſui, jam de tutela univerſi generis praecipiam.

De gallinariis conſtituendis.

CAP. III. Gallinaria conſtitui debent parte villae, quae hibernum ſpectat orientem: juncta ſint ea furno, vel culinae, ut ad avem perveniat fumus, qui eſt huic generi praecipue ſalutaris. Totius autem officinae, id eſt ornithonis, tres continuae extruuntur cellae, quarum, ſicuti dixi, perpetua frons orienti ſit obverſa. In ea deinde fronte exiguus detur unus omnino aditus mediae cellae; quae ipſa tribus minima eſſe debet in altitudinem, & quoquoverſus pedes ſeptem. In ea ſinguli dextro laevoque pariete aditus ad utramque cellam faciendi ſunt, juncti parieti, qui eſt intrantibus adverſus. Huic autem focus applicetur tam longus, ut nec impediat praedictos aditus, & ab eo fumus perveniat in

utramque cellam: eaeque longitudinis & altitudinis duodenos pedes habeant, nec plus latitudinis, quam media. Sublimitas dividatur tabulatis, quae ſupra ſe quaternos, & infra ſeptenos liberos pedes habeant, quoniam ipſa ſingulos occupant. Utraque tabulata gallinis ſervire debent, & ea parvis ab oriente ſingulis illuminari feneſtellis, quae & ipſae matutinum exitum praebeant avibus ad cohortem, nec minus veſpertinum introitum. Sed curandum erit, ut ſemper noctibus claudantur, quo tutius aves maneant. Intra tabulata majores feneſtrae aperiantur, & eae clatris muniantur, ne poſſint noxia irrepere animalia: ſic tamen, ut illuſtria ſint loca, quo commodius habitent. Aviariuſque ſubinde debet ſpeculari aut incubantis, aut parturientis foetus. Nam etiam in iis ipſis locis ita craſſos parietes aedificare convenit, ut exciſa per ordinem gallinarum cubilia recipiant: in quibus aut ova edantur, aut excludantur pulli: hoc enim & ſalubrius, & elegantius eſt, quam illud, quod quidam faciunt, ut palis in parietes vehementer actis, vimineos qualos ſuperimponant. Sive autem parietibus, ita, ut diximus, cavatis, ſive qualis vimineis praeponenda erunt veſtibula, per quae ma-

trices ad cubilia vel pariendi, vel incubandi causa perveniant. Neque enim debent ipsis nidis involare, ne dum adsiliunt, pedibus ova confringant, Ascensus deinde avibus ad tabulata per utramque cellam datur junctis parieti modicis asserculis, qui paullum formatis gradibus asperantur, ne sint advolantibus lubrici. Sed ab cohorte forinsecus praedictis fenestellis scandulae similiter injungantur, quibus irrepant aves ad requiem nocturnam. Maxime autem curabimus, ut & haec aviaria & caetera, de quibus mox dicturi sumus, intrinsecus & extrinsecus poliantur opere tectorio, ne ad aves feles habeant aut coluber accessum, & aeque noxiae prohibeantur pestes. Tabulatis insistere dormientem avem non expedit, ne suo laedatur stercore; quod cum pedibus uncis adhaesit, podagram creat. Ea pernicies, ut evitetur, perticae dolantur in quadrum, ne teres levitas earum supersilientem volucrem non recipiat. Conquadratae deinde foratis duobus adversis parietibus induuntur, ita ut tabulato pedalis altitudinis, & inter se bipedalis latitudinis spatio distent. Haec erit cohortalis officinae dispositio. Caeterum cohors ipsa, per quam vagantur, non tam stercore, quam ulligine careat. Nam

plurimum refert aquam non esse in ea nisi uno loco, quam bibant, eamque mundissimam: nam stercorosa pituitam concitat. Puram tamen servare non possis, nisi clausam, vasis in hunc usum fabricatis. Sunt autem, qui aut aqua replentur, aut cibo plumbei canales, quos magis utiles esse ligneis, aut fictilibus compertum est. Hi superpositis operculis clauduntur, & a lateribus super mediam partem altitudinis per spatia palmaria modicis forantur cavis, ita ut avium capita possint admittere. Nam nisi operculis muniantur, quantulumcunque aquae vel ciborum inest, pedibus everritur. Sunt qui a superiore parte foramina ipsis operculis imponant, quod fieri non oportet. Nam supersiliens avis proluvie ventris cibos & aquam conspurcat.

De cibariis gallinarum.

Cap. IV. Cibaria gallinis praebentur optima, pinsitum ordeum & vicia, nec minus cicercula, tum etiam milium, aut panicum: sed haec ubi vilitas annonae permittit. Ubi vero ea est carior, excreta tritici minuta commode dantur. Nam per se id frumentum, etiam quibus locis viliſſimum est, non utiliter praebetur, quia obest avibus. Potest etiam lolium decoctum objici, nec minus fur-

fures modice a farina excreti: qui si nihil habent farris, non sunt idonei, nec tantum appetuntur. Jejunis cytisi folia, seminaque maxime probantur, & sunt huic generi gratissima: neque est ulla regio, in qua non possit hujus arbusculae copia esse vel maxima. Vinacea quamvis tolerabiliter pascant, dari non debent, nisi quibus temporibus anni avis foetus non edit: nam & partus raro, & ova faciunt exigua. Sed cum plane post autumnum cessant a foetu, possunt hoc cibo sustineri. Attamen quaecunque dabitur esca per cohortem vagantibus, die incipiente & jam in vesperum declinante, bis dividenda est, ut & mane non protinus a cubili latius evagentur, & ante crepusculum propter cibi spem temporius ad officinam redeant, possitque numerus capitum saepius recognosci. Nam volatile pecus facile pastoris custodiam decipit. Siccus etiam pulvis & cinis ubicunque cohortem porticus vel tectum protegit, juxta parietes reponendus est, ut sit quo aves se perfundant. Nam his rebus plumam pennasque emundant: si modo credimus Ephesio Heracleto, qui ait sues coeno, cohortales aves pulvere, vel cinere lavari. Gallina post primam emitti, & ante horam diei undeci-

mam claudi debet: cujus vagae cultus hic, quem diximus, erit: nec tamen alius clausae, nisi quod ea non emittitur, sed intra ornithonem ter die pascitur majore mensura. Nam singulis capitibus quaterni cyathi diurna cibaria sunt, cum vagis terni, vel bini praebeantur. Habere etiam clausam oportet amplum vestibulum, quo prodeat, & ubi apricetur: idque sit retibus munitum, ne aquila vel accipiter involet. Quas impensas & curas, nisi locis, quibus harum rerum vigent pretia, non expedit adhiberi. Antiquissima est autem cum in omnibus pecoribus, tum in hoc, fides pastoris; qui nisi eam domino servat, nullus ornithonis quaestus vincet impensas. De tutela satis dictum est: nunc reliquum ordinem prosequemur.

De servandis & supponendis ovis.

Cap. V. Confecta bruma parere fere id genus avium consuevit. Atque earum, quae sunt foecundissimae, locis tepidioribus circa Calend. Jan. ova edere incipiunt; frigidis autem regionibus, eodem mense post Idus. Sed cibis idoneis foecunditas earum elicienda est, quo maturius partum edant. Optime praebetur ad satietatem ordeum semicoctum: nam & majus facit ovorum incrementum, & fre-

quentiores partus. Sed is cibus quasi condiendus est interjectis cytisi foliis, ac semine ejusdem, quae utraque maxime putantur augere foecunditatem avium. Modus autem cibariorum sit, ut dixi, vagis binorum cyathorum ordei. Aliquid tamen admiscendum erit cytisi, vel si id non fuerit, viciae aut millii. Curae autem debebit esse custodi, cum parturient aves, ut habeant quam mundissimis paleis constrata cubilia, eaque subinde converrat, & alia stramenta quam recentissima reponat. Nam pulicibus, aliisque similibus animalibus replentur, quae secum affert avis, cum ad idem cubile revertitur. Assiduus autem debet esse custos, & speculari parientes, quod se facere gallinae testantur crebris singultibus interjecta voce acuta. Observare itaque dum edant ova, & confestim circumire oportebit cubilia, ut, quae nata sunt, recolligantur, notenturque, quae quoque die sint edita, ut quam recentissima supponantur glocientibus: sic enim appellant rustici aves eas, quae volunt incubare. Caetera vel reponantur, vel aëre mutentur. Aptissima porro sunt ad excludendum recentissima quaeque. Possunt tamen etiam requieta supponi, dum ne vetustiora sint, quam dierum decem.

Fere autem, cum primum partum consummaverint gallinae, incubare cupiunt ab Idibus Januariis, quod facere non omnibus permittendum est; quoniam quidem novellae magis edendis, quam excubandis ovis utiliores sunt: inhibeturque cupiditas incubandi pinnula per nares trajecta. Veteranas igitur aves ad hanc rem eligi oportebit, quae jam saepius id fecerint; moresque earum maxime pernosci, quoniam aliae melius excubant, aliae editos pullos commodius educant. At e contrario quaedam & sua & aliena ova comminuunt atque consumunt, quod facientem protinus submovere conveniet. Pulli autem duarum aut trium avium excluſi, dum adhuc teneri sunt, ad unam, quae sit melior nutrix, transferri debent, sed primo quoque die, dum mater suos & alienos propter similitudinem dignoscere non potest. Verumtamen servare oportet modum. Neque enim debet major esse quam triginta capitum; negant enim hoc ampliorem gregem posse ab una nutriri. Numerus ovorum, quae subjiciuntur, impar observatur, nec semper idem. Nam primo tempore, id est mense Januario, quindecim, nec unquam plura subjici debent: Martio XIX, nec his pauciora: unum & viginti Aprili:

tota deinde aestate usque in Calendas Octobris totidem. Postea supervacua est hujus rei cura, quod frigoribus excluſi pulli plerumque intereant. Plerique tamen etiam ab aestivo solstitio non putant bonam pullationem, quod ab eo tempore, etiam si facilem educationem habent, justum tamen non capiunt incrementum. Verum suburbanis locis, ubi a matre pulli non exiguis pretiis veneunt, nec plerumque intereunt, probanda est aestiva educatio. Semper autem, cum supponuntur ova, considerari debet, ut luna crescente a decima usque ad quintamdecimam id fiat. Nam & ipsa suppositio per hos fere dies est commodissima, & sic administrandum est, ut rursus cum excluduntur pulli, luna crescat. Diebus quibus animantur ova, & in speciem volucrum conformantur, ter septenis opus est gallinaceo generi. At pavonino & anserino, paullo amplius ter novenis. Quae si quando fuerint supponenda gallinis, prius eas incubare decem diebus foetibus alienigenis patiemur. Tum demum sui generis quatuor ova, nec plura quam quinque fovenda recipient. Sed & haec quam maxima: nam ex pusillis aves minutae nascuntur. Cum deinde quis volet quam plurimos mares excludi, longissi-

ma quaeque & acutiſſima ova ſubjiciet: & rurſus cum foeminas, quam rotundiſſima. Supponendi autem conſuetudo tradita eſt ab iis, qui religioſius haec adminiſtrant, ejuſmodi. Primum quam ſecretiſſima cubilia eligunt, ne incubantes matrices ab aliis avibus inquietentur: deinde antequam conſternant ea, diligenter emundant, paleaſque, quas ſubſtraturi ſunt, ſulfure & bitumine, atque ardente teda perluſtrant, & expiatas cubilibus injiciunt, ita factis concavatis nidis, ne ab advolantibus, aut etiam deſilientibus evoluta decidant ova. Plurimi etiam infra cubilium ſtramenta graminis aliquid, & ramulos lauri, nec minus allii capita cum clavis ferreis ſubjiciunt: quae cuncta remedia creduntur eſſe adverſus tonitrua, quibus vitiantur ova, pullique ſemiformes interimuntur ante quam toti partibus ſuis conſummentur. Servat autem, qui ſubjicit, ne ſingula ova in cubili manu componat, ſed totum ovorum numerum in alveolum ligneum conferat, deinde univerſum leniter in praeparatum nidum transfundat. Incubantibus autem gallinis juxta ponendus eſt cibus, ut ſaturae ſtudioſius nidis immorentur, neve longius evagatae refrigerent ova, quae quamvis pedibus ipſae con-

vertant, aviarius tamen, cum desilierint matres, circumire debet, ac manu versare, ut aequaliter calore concepto facile animentur. Quin etiam si qua unguibus laesa vel fracta sunt, ut removeat. Idque cum fecerit, die undevigesimo animadvertat, an pulli rostellis ova percuderint, & auscultetur, si pipiant. Nam saepe propter crassitudinem putaminum erumpere non queunt. Itaque haerentes pullos manu eximere oportebit, & matri fovendos subjicere, idque non amplius triduo facere. Nam post unum & vigesimum diem silentia ova carent animalibus: eaque removenda sunt, ne incubans inani spe diutius detineatur effoeta. Pullos autem non oportet singulos, ut quisque natus sit, tollere, sed uno die in cubili sinere cum matre, & aqua ciboque abstinere, dum omnes excludantur. Postero die, cum grex fuerit effoetus, hoc modo deponitur. Cribro viciario, vel etiam loliario, qui jam fuerit in usu, pulli superponantur, deinde pulegii furculis fumigentur. Ea res videtur prohibere pituitam, quae celerrime teneros interficit. Post haec cavea cum matre claudendi sunt, & farre ordeaceo cum aqua incocto, vel adoreo farre vino respersо, modice alendi. Nam maxime

cruditas

cruditas vitanda est: & ob hoc tertia die cavea cum matre continendi sunt, priusque, quam emittantur ad recentem cibum, singuli tentandi, ne quid hesterni habeant in gutture. Nam si vacua non est ingluvies, cruditatem significat, abstinerique debent, dum concoquant. Longius autem non est permittendum teneris evagari, sed circa caveam continendi sunt, & farina ordeacea pascendi, dum corroborentur: cavendumque, ne a serpentibus adflentur, quarum odor tam pestilens est, ut interimat universos. Id vitatur saepius incenso cornu cervino, vel galbano, vel muliebri capillo; quorum omnium fere nidoribus praedicta pestis submovetur. Sed & curandum erit, ut tepide habeantur. Nam nec calorem, nec frigus sustinent. Optimumque est intra officinam clausos haberi cum matre, & post quadragesimum diem potestatem vagandi fieri. Sed primis quasi infantiae diebus pertractandi sunt, plumulaeque sub cauda clunibus detrahendae, ne stercore coinquinatae duresçant & naturalia praecludant. Quod quamvis caveatur, saepe tamen evenit, ut alvus exitum non habeat. Itaque pinna pertunditur, & iter digestis cibis praebetur. Sed & jam validioribus factis, atque

ipsis matribus etiam vitanda pituitae pernicies erit; quae ne fiat, mundissimis vasis, & quam purissimam praebebimus aquam: nec minus gallinaria semper fumigabimus, & emundata stercore liberabimus. Quod si tamen pestis pervaserit, sunt qui spicas allii tepido madefactas oleo faucibus inferant. Quidam hominis urina tepida rigant ora, & tamdiu comprimunt, dum eas amaritudo cogat per nares emoliri pituitae nauseam. Uva quoque, quam Graeci ἀγρίαν σαφυλὴν vocant, cum cibo mista prodest. vel eadem pertrita & cum aqua potui data. Atque haec remedia mediocriter laborantibus adhibentur. Nam si pituita circumvenit oculos, & jam cibos avis respuit, ferro rescinduntur genae, & coacta sub oculis sanies omnis exprimitur: atque ita paullum triti salis vulneribus infriatur. Id porro vitium maxime nascitur, cum frigore & penuria cibi laborant aves: item cum per aestatem consistens in cohortibus aqua potatur: item cum ficus aut uva immatura nec ad satietatem permissa est, quibus scilicet cibis abstinendae sunt aves: eosque ut fastidiant efficit uva labrusca, de vepribus immatura lecta, quae cum farre triticeo minuto cocta objicitur esurientibus, ejusque sapore offensae aves

omnem aſpernantur uvam. Similis ratio eſt etiam caprifici, quae decocta cum cibo praebetur avibus, & ita fici faſtidium creat. Mos quoque, ſicut in caeteris pecoribus, eligendi quaeque optima, & deteriora vendendi, ſervetur etiam in hoc genere, ut per autumni tempus omnibus annis, cum fructus earum ceſſat, numerus quoque minuatur. Submovebimus autem veteres, id eſt, quae trimatum exceſſerunt: item quae aut parum foecundae, aut parum bonae nutrices ſunt, & praecipue quae ova vel ſua, vel aliena conſumunt: nec minus, quae velut mares cantare, atque etiam calcare coeperunt: item ſerotini pulli, qui ab ſolſtitio nati capere juſtum incrementum non potuerunt. In maſculis autem non eadem ratio ſervabitur; ſed tamdiu cuſtodiemus generoſos, quamdiu foeminam implere potuerint. Nam rarior eſt in his avibus mariti bonitas. Eodem quoque tempore cum parere deſinent aves, iſt eſt, ab Idib. Nov. pretioſiores cibi ſubtrahendi ſunt, & vinacea praebenda, quae ſatis commode paſcunt, adjectis interdum tritici excrementis.

De ovis.

Cap. VI. Ovorum quoque longioris temporis cuſtodia non aliena eſt huic curae:

quae commode ſervantur per hiemem, ſi paleis obruas, aeſtate, ſi furfuribus. Quidam prius trito ſale ſex horis adoperiunt: deinde eluunt, atque ita paleis aut furfuribus obruunt. Nonnulli ſolida, multi etiam freſa faba coaggerant: alii ſalibus integris adoperiunt: alii muria tepefacta durant. Sed omnis ſal, quemadmodum non patitur putreſcere, ita minuit ova, nec ſinit plena permanere: quae res ementem deterret. Itaque ne in muriam quidem qui dimittunt, integritatem ovorum conſervant.

De gallinis farciendis.

Cap. VII. Pinguem quoque facere gallinam, quamvis fartoris, non ruſtici ſit officium, tamen quia non aegre contingit, praecipiendum putavi. Locus ad hanc rem deſideratur calidus maxime, & minimi luminis, in quo ſingulae caveis anguſtioribus, vel ſportis incluſae pendeant aves, ſed ita coarctatae, ne verſari poſſint. Verum habeant ex utraque parte foramina: unum, quo caput exeratur; alterum, quo cauda cluneſque; ut & cibos capere poſſint, & eos digeſtos ſic edere, ne ſtercore coinquinentur. Subſternatur autem mundiſſima palea, vel molle foenum, id eſt, cordum. Nam ſi dure cubant, non ſa-

cile pingueſcunt. Pluma omnis e capite, & ſub alis atque clunibus detergetur: illic, ne pediculum creet; hic, ne ſtercore loca naturalia exulceret. Cibus autem praebetur ordeacea farina, quae cum eſt aqua conſperſa & ſubacta, formantur offae, quibus aves ſaginantur. Eae tamen primis diebus dari parcius debent, dum plus concoquere conſueſcant. Nam cruditas vitanda eſt maxime, tantumque praebendum, quantum digerere poſſint: neque ante recens admovenda eſt, quam tentato gutture apparuerit, nihil veteris eſcae remanſiſſe. Cum deinde ſatiata eſt avis, paullulum depoſita cavea dimittitur, ſed ita, ne vagetur, ſed potius, ſi quid eſt, quod eam ſtimulet aut mordeat, roſtro perſequatur. Haec [enim] fere communis eſt cura farcientium. Nam illi, qui volunt non ſolum opimas, ſed etiam teneras aves efficere, mulſea recente aqua praedicti generis farinam conſpergunt, & ita farciunt: nonnulli tribus aquae partibus unam boni vini miſcent, madefactoque triticeo pane obeſant avem; quae prima luna (quoniam id quoque cuſtodiendum eſt) ſaginari coepta, vigeſima pergliſcit. Sed ſi faſtidiet cibum, totidem diebus minuere oportebit, quot jam farturae proceſſe-

rint: ita tamen, ne tempus omne opimandi quintam & vigesimam lunam superveniat. Antiquissimum est autem, maximam quamque avem lautioribus epulis destinare. Sic enim digna merces sequitur operam & impensam.

De palumbis & columbis farciendis, & columbariis constituendis.

Cap. VIII. Hac eadem ratione palumbos columbosque cellares pinguissimos facere contingit: neque est tamen in columbis farciendis tantus reditus, quantus in educandis. Nam etiam horum possessio non abhorret a cura boni rustici. Sed id genus minore tutela pascitur longinquis regionibus, ubi liber egressus avibus permittitur: quoniam vel summis turribus, vel editissimis aedificiis assignatas sedes frequentant patentibus fenestris, per quas ad requirendos cibos evolitant. Duobus tamen aut tribus mensibus acceptant conditicia cibaria, caeteris seipsas pascunt seminibus agrestibus. Sed hoc suburbanis locis facere non possunt, quoniam intercipiuntur variis aucupum insidiis. Itaque clausae intra tectum pasci debent, nec in plano villae loco, nec in frigido: sed in edito fieri tabulatum oportet, quod aspiciat hibernum meridiem. Ejusque parietes, ne jam dicta iteremus, ut

in ornithone praecepimus, continuis cubilibus excaventur: vel si ita non competit, paxillis adactis tabulae superponantur, quae vel loculamenta, quibus nidificent aves, vel fictilia columbaria recipiant, praepositis vestibulis, per quae ad cubilia perveniant. Totus autem locus & ipsae columbarum cellae poliri debent albo tectorio, quoniam eo colore praecipue delectatur hoc genus avium. nec minus extrinsecus levigari parietes, maxime circa fenestram: & ea sit ita posita, ut majore parte hiberni diei solem admittat, habeatque appositam satis amplam caveam retibus emunitam, quae excludat accipitres, & recipiat egredientes ad apricationem columbas, nec minus [in agros] emittant matrices, quae ovis vel pullis incubant, ne quasi gravi perpetuae custodiae servitio contristatae senescant. Nam cum paullum circa aedificia volitaverint, exhilaratae recreantur, & ad foetus suos vegetiores redeunt, propter quos ne longius quidem evagari, aut fugere conantur. Vasa, quibus aqua praebeatur, similia esse debent gallinariis, quae colla bibentium admittant, & cupientes lavari propter angustias non recipiant. Nam id facere eas nec ovis nec pullis, quibus plerumque incubant,

expedit. Caeterum cibos juxta parietem conveniet ſpargi, quoniam fere partes eae columbarii carent ſtercore. Commodiſſima cibaria putantur vicia, vel ervum, tum etiam lenticula, miliumque & lolium, nec minus excreta tritici, & ſi qua ſunt alia legumina, quibus etiam gallinae aluntur. Locus autem ſubinde converri & emundari debet. Nam quanto eſt cultior, tanto laetior avis conſpicitur, eaque tam faſtidioſa eſt, ut ſaepe ſedes ſuas peroſa, ſi detur evolandi poteſtas, relinquat. quod frequenter in his regionibus, ubi liberos habent egreſſus, accidere ſolet. Id ne fiat, vetus eſt Democriti praeceptum. genus accipitris tinunculum vocant ruſtici, qui fere in aedificiis nidos facit. Ejus pulli ſinguli fictilibus ollis conduntur, ſpirantibuſque opercula ſuperponuntur, & gypſo lita vaſa in angulis columbarii ſuſpenduntur: quae res avibus amorem loci ſic conciliat, ne unquam deſerant. Seligendae vero ſunt ad educationem neque vetulae, nec nimium novellae; ſed corporis maximi: curandumque, ſi fieri poſſit, ut pulli, quemadmodum excluſi ſunt, nunquam ſeparentur. Nam fere ſi ſic maritatae ſunt, plures educant foetus. Sin aliter, certe nec alieni generis conjungantur, ut Ale-

xandrinae & Campanae. Minus enim impares ſuas diligunt, & ideo nec multum ineunt, nec ſaepius foetant. Plumae color non ſemper, nec omnibus idem probatus eſt: atque ideo, qui ſit optimus, non facile dictu eſt. Albus, qui ubique vulgo conſpicitur, a quibuſdam non nimium laudatur; nec tamen vitari debet in iis, quae clauſo continentur. Nam in vagis maxime eſt improbandus, quod eum facillime ſpeculatur accipiter. Foecunditas autem, quamvis longe minor ſit quam eſt gallinarum, majorem tamen refert quaeſtum. Nam & octies anno pullos educat, ſi eſt bona matrix; & pretiis eorum domini complent arcam, ſicut eximius auctor M. Varro nobis affirmat, qui prodidit, etiam illis ſeverioribus ſuis temporibus paria ſingula, millibus ſingulis ſeſtertiorum ſolita venire. Nam noſtri pudet ſeculi, ſi credere volumus, inveniri, qui quaternis millibus nummum binas aves mercentur. Quamquam vel hos magis tolerabiles putem, qui oblectamenta deliciarum poſſidendi habendique cauſa, gravi aere & argento penſent, quam illos, qui Ponticum Phaſim, & Scythica ſtagna Maeotidis eluant. Jam nunc Gangeticas & Aegyptias aves temulenter eructant. Poteſt tamen etiam in

hoc aviario, ſicut dictum eſt, ſagina exerceri. Nam ſi quae ſteriles, aut ſordidi coloris interveniunt, ſimiliter ut gallinae farciuntur. Pulli vero facilius ſub matribus pingueſcunt, ſi jam firmis, prius quam ſubvolent, paucas ſubtrahas pinnas & obteras crura, ut uno loco quieſcant, praebeaſque copioſum cibum parientibus, quo & ſe, & eos abundantius alant. Quidam leviter obligant crura: quoniam ſi frangantur, dolorem, & ex eo maciem fieri putent. ſed nihil iſta res pinguitudinis efficit. Nam dum vincula exerere conantur, non conquieſcunt. & hac quaſi exercitatione corpori nihil adjiciunt. Fracta crura non plus quam bidui, aut ſummum tridui dolorem afferunt & ſpem tollunt evagandi.

De alendis turturibus.

Cap. IX. Turturum educatio ſupervacua eſt: quoniam id genus in ornithone nec parit, nec excludit. A volatura ita ut capitur, ſarturae deſtinatur: eoque leviore cura, quam caeterae aves ſaginatur: verum non omnibus temporibus. Per hiemem, quamvis adhibeatur opera, difficulter gliſcit. Et tamen, quia major eſt turdi copia, pretium turturum minuitur. Rurſus aeſtate vel ſua ſponte, dum-

modo sit facultas cibi, pingueſcit. Nihil enim aliud, quam objicitur eſca, ſed praecipue milium: nec quia tritico vel aliis frumentis minus craſſeſcant; verum quod ſemine hujus maxime delectantur. Hieme tamen offae panis vino madefactae, ſicut etiam palumbos, celerius opimant, quam caeteri cibi. Receptacula non tanquam columbis, loculamenta, vel cellulae cavatae efficiuntur, ſed ad lineam mutuli per parietem defixi, tegeticulas cannabinas accipiunt, praetentis retibus, quibus prohibeantur volare: quoniam ſi id faciant, corpori detrahunt. In his autem aſſidue paſcuntur milio, aut tritico. ſed ea ſemina dari niſi ſicca non oportet. ſatiatque ſemodius cibi in diebus ſingulis vicenos & centenos turtures. Aqua ſemper recens, & quam mundiſſima vaſculis, qualibus columbis atque gallinis, praebetur. tegeticulaeque mundantur, ne ſtercus urat pedes, quod tamen & [id] ipſum diligenter reponi debet ad cultus agrorum arborumque, ſicut & omnium avium, praeterquam nantium. Hujus avis aetas ad ſaginam non tam vetus eſt idonea, quam novella. Itaque circa meſſem, cum jam confirmata eſt pullities, eligitur.

De turdis educandis.

CAP. X. Turdis major opera & impensa praebetur, qui omni quidem rure, sed salubrius in eo pascuntur, in quo capti sunt. Nam difficulter in aliam regionem transferuntur, quia caveis clausi plurimi despondent: quod faciunt etiam, cum eodem momento temporis a rete in aviaria conjecti sunt. Itaque ne id accidat, veterani debent intermisceri, qui ab aucupibus in hunc usum nutriti, quasi allectores sint captivorum, moestitiamque eorum mitigent intervolando. Sic enim consuescent & aquam & cibos appetere feri, si mansuetos id facere viderint. Locum aeque munitum & apricum, quam columbi, desiderant: sed in eo transversae perticae perforatis parietibus adversis aptantur, quibus insideant, cum satiati cibo requiescere volunt. eae perticae non altius a terra debent sublevari, quam hominis statura patiatur, ut a stante contingi possint. Cibi ponuntur fere partibus his ornithonis, quae super se perticas non habent, quo mundiores permaneant. Semper autem arida ficus, diligenter pinsita & permista polline, praeberi debet, tam large quidem, ut supersit. Hanc quidam

mandunt & ita objiciunt. sed istud in majore numero facere vix expedit, quia nec parvo conducuntur, qui mandunt, & ab iis ipsis aliquantum propter jucunditatem consumitur. Multi varietatem ciborum, ne unum fastidiant, praebendam putant. Ea est, cum objiciuntur myrti & lentisci semina; item oleastri, & ederaceae baccae, nec minus arbuti. Fere enim etiam in agris ab ejusmodi volucribus haec appetuntur, quae in aviariis quoque desidentium detergent fastidia, faciuntque avidiorem volaturam, quod maxime expedit. Nam largiore cibo celerius pingueſcit. Semper tamen etiam canaliculi milio repleti apponuntur, quae est firmissima esca. Nam illa, quae supra diximus, pulmentariorum vice dantur. Vasa, quibus recens & munda praebeatur aqua, non dissimilia sint gallinariis. Hac impensa curaque M. Terentius ternis saepe denariis singulos emtitatos esse significat avorum temporibus, quibus qui triumphabant, populo dabant epulum. At nunc aetatis nostrae luxuries quotidiana fecit haec pretia: propter quae ne rusticis quidem contemnendus sit hic reditus. Atque ea genera, quae intra septa villae cibantur, fere persecuti sumus. Nunc de his

dicendum est, quibus etiam exitus ad agrestia pabula dantur.

De pavonibus educandis.

Cap. XI. Pavonum educatio magis urbani patrisfamiliae, quam tetrici rustici curam poscit. Sed ne haec tamen aliena est agricolae captantis undique voluptates acquirere, quibus solitudines ruris eblandiantur. Harum autem decor avium etiam exteros nedum dominos oblectat. Itaque genus alitum nemorosis & parvulis insulis, quales objacent Italiae, facillime continetur. Nam quoniam nec sublimiter potest, nec per longa spatia volitare, tum etiam quia furis, ac noxiorum animalium rapinae metus non est, sine custode tuto vagatur, majoremque pabuli partem sibi acquirit. Foeminae quidem sua sponte, tanquam servitio liberatae, studiosius pullos enutriunt: nec curator aliud facere debet, quam ut diei certo tempore signo dato, juxta villam gregem convocet, & exiguum ordei concurrentibus objiciat, ut nec avis esuriat, & numerus advenientium recognoscatur. Sed hujus possessionis rara conditio est. quare mediterraneis locis major adhibenda cura est: eaque sic administretur. Herbidus silvestrisque ager planus sub-

limi clauditur maceria, cujus tribus lateribus porticus applicantur, & in quarto duae cellae, ut ſit altera cuſtodis habitatio, atque altera ſtabulum pavonum. Sub porticibus deinde per ordinem fiunt arundinea ſepta in modum cavearum, qualia columbarii tectis ſuperponuntur. Ea ſepta diſtinguuntur velut clatris intercurrentibus calamis, ita ut ab utroque latere ſingulos aditus habeant. Stabulum autem carere debet uligine, cujus in ſolo per ordinem figuntur breves paxilli, eorumque partes ſummae lingulas edolatas habent, quae tranſverſis foratis perticis inducantur. Hae porro quadratae perticae eſſe debent, quae paxillis ſuperponuntur, ut avem recipiant adſilientem. ſed idcirco ſunt exemptiles, ut cum res exigit, a paxillis deductae liberum aditum converrentibus ſtabulum praebeant. Hoc genus avium, cum trimatum explevit, optime progenerat. ſiquidem tenerior aetas aut ſterilis, aut parum foecunda eſt. Maſculus pavo gallinaceam ſalacitatem habet, atque ideo quinque foeminas deſiderat. Nam ſi unam vel alteram foetam ſaepius compreſſit; vix dum concepta in alvo vitiat ova, nec ad partum finit perduci: quoniam immatura genitalibus locis excidunt.

Ultima parte hiemis concitantibus libidinem cibis utriusque sexus accendenda venus est. Maxime facit ad hanc rem, si favilla levi torreas fabam, tepidamque des jejunis quinto quoque die. Nec tamen excedas modum sex cyathorum in singulas aveis. Haec cibaria non omnibus promiscue spargenda sunt, sed in singulis septis, quae arundinibus intexi oportere proposueram, portione servata quinque foeminarum, & unius maris, ponenda sunt cibaria, nec minus aqua, quae sit idonea potui. Quod ubi factum est, mares sine rixa deducuntur in sua quisque septa cum foeminis, & aequaliter universus grex pascitur. Nam etiam in hoc genere pugnaces inveniuntur masculi, qui & a cibo & a coitu prohibent minus validos, nisi sint hac ratione separati. Fere autem locis apricis ineundi cupiditas exercet mares, cum Favonii spirare coeperunt, id est, tempus ab Idib. Februar. ante Martium mensem. Signa sunt extimulatae libidinis, cum semetipsum veluti mirantem caudae gemmantibus pinnis protegit: idque cum facit, rotare dicitur. Post admissurae tempus confestim matrices custodiendae sunt, ne alibi quam in stabulo foetus edant: saepiusque digitis loca foemina-

rum

rum tentanda sunt. Nam in promtu gerunt ova, quibus jam partus appropinquat. Itaque includendae sunt enitentes, ne extra clausum foetum edant: maximeque temporibus iis, quibus parturiunt, pluribus stramentis exaggerandum est aviarium, quo tutius integri foetus excipiantur. Nam fere pavones, cum ad nocturnam requiem venerunt, praedictis perticis insistentes enituntur ova, quae quo propius ac mollius deciderint, illibatam servant integritatem. Quotidie ergo diligenter mane temporibus foeturae stabula circumeunda erunt, & jacentia ova colligenda. Quae quanto recentiora gallinis subjecta sunt, tanto commodius excluduntur: idque fieri maxime patrisfamilias rationi conducit. Nam foeminae pavones, quae non incubant, ter anno fere partus edunt: at quae fovent ova, totum tempus foecunditatis aut excludendis aut etiam educandis pullis consumunt. Primus est partus quinque fere ovorum; secundus quatuor; tertius aut trium, aut duorum. Neque est quod committatur, ut Rhodiae aves pavoninis incubent, quae ne suos quidem foetus commode nutriunt. Sed veteres maximae quaeque gallinae vernaculi generis eligantur: eaeque novem diebus a primo lu-

nae incremento, novenis ovis incubent, sintque ex his quinque pavonina & caetera gallinacei generis. Decimo deinceps die omnia gallinacea subtrahantur, & totidem recentia ejusdem generis supponantur, ut trigesima luna, quae est fere nova, cum pavoninis excludantur. Sed custodis cura non effugiat observare desilientem matricem, saepiusque ad cubile pervenire & pavonina ova, quae propter magnitudinem difficilius a gallina moventur, versare manu: idque quo diligentius faciat, una pars ovorum notanda est atramento, quod signum habebit aviarius, an a gallina conversa sint. Sed, ut dixi, meminerimus cohortales quam maximas ad hanc rem praeparari; quae si mediocris habitus sunt, non debent amplius quam terna pavonina & sena generis sui fovere. Cum deinde fecerit pullos, ad aliam nutricem gallinacei debebunt transferri, & subinde, qui nati fuerint pavonini ad unam congregari, donec quinque & viginti capitum grex efficiatur. Sed cum erunt editi pulli, similiter ut gallinacei primo die non amoveantur: postero die cum educatrice transferantur in caveam: primisque diebus alantur ordeaceo farre vino respersо, nec minus ex quolibet frumento

cocta pulticula & refrigerata. Post paucos deinde dies huic cibo adjiciendum erit concisum porrum Tarentinum, & caseus mollis vehementer expressus. Nam serum nocere pullis manifestum est. Locustae quoque pedibus ademtis utiles cibandis pullis habentur, atque iis pasci debent usque ad sextum mensem: postmodum satis est ordeum de manu praebere. Possunt autem post quintum & trigesimum diem quam nati sunt, etiam in agro satis tuto educi, sequiturque grex velut matrem gallinam singultientem. Ea cavea clausa fertur in agrum a pastore, & emissa ligato pede longa linea gallina custoditur, ad quam circumvolant pulli. Qui cum ad satietatem pasti sunt, reducuntur in villam persequentes, ut dixi, nutricis singultus. Satis autem convenit inter auctores, non debere alias gallinas, quae pullos sui generis educant; in eodem loco pasci. Nam cum conspexerunt pavoninam prolem, suos pullos diligere desinunt, & immaturos relinquunt, perosae videlicet, quod nec magnitudine, nec specie pavoni pares sint. Vitia quae gallinaceo generi nocere solent, eadem has aveis infestant: sed nec remedia traduntur alia, quam quae gallinaceis adhibentur. Nam &

pituita & cruditas, & si quae aliae sunt pestes, iisdem remediis, quae proposuimus, prohibentur. Septimum deinde mensem cum excesserunt, in stabulo cum caeteris ad nocturnam requiem debent includi. Sed erit curandum, ne humi maneant. Nam qui sic cubitant, tollendi sunt, & supra perticas imponendi, ne frigore laborent.

De Numidicarum & rusticarum gallinarum educatione.

Cap. XII. Numidicarum eadem est fere, quae pavonum educatio. Caeterum silvestres gallinae, quae rusticae appellantur, in servitute non foetant: & ideo nihil de his praecipimus, nisi ut cibus ad satietatem praebeatur, quo sint conviviorum epulis aptiores.

De avibus, quas Graeci ἀμφιβίους & Latini duplicis vitae appellant.

Cap. XIII. Venio nunc ad eas aves, quas Graeci vocant ἀμφίβια, quia non tantum terrestria, sed aquatilia quoque desiderant pabula, nec magis humo quam stagno consueverunt. Ejusque generis anser praecipue rusticis gratus est, quod nec maximam curam poscit, & solertiorem custodiam praebet quam canis. Nam clangore prodit insidiantem, sicut etiam memoria tradidit in obsi-

dione Capitolii, cum adventu Gallorum vociferatus est, canibus silentibus. Is autem non ubique haberi potest, ut existimat verissime Celsus, qui sic ait. Anser neque sine aqua, nec sine multa herba facile sustinetur, neque utilis est locis consitis, quia quicquid tenerum contingere potest, carpit. Sicubi vero flumen aut lacus est, herbaeque copia, nec minus juxta satae fruges, id quoque genus nutriendum est. Quod etiam nos facere censemus, non quia magni sit fructus, sed quia minimi oneris: attamen praestat ex se pullos atque plumam, quam non, ut in ovibus lanam, semel demetere, sed bis anno, vere & autumno, vellere licet. Atque ob has quidem causas, si permittit locorum conditio, vel paucos utique oportet educare, singulisque maribus ternas foeminas destinare. Nam propter gravitatem plureis inire non possunt. Quin etiam intra cohortem, ut protecti sint, secretis angulis haras facere oportet, in quibus cubitent & foetus edant.

De anseribus educandis, & anserario constituendo.

Cap. XIV. Qui vero greges nantium possidere studeant, chenoboscia constituant, quae tum demum vigebunt, si fuerint ordinata

ratione tali. Cohors ab omni caetero pecore secreta clauditur, alta novem pedum, maceria porticibusque circumdata, ita ut in aliqua parte sit cella custodis. Sub porticibus deinde quadratae harae caementis, vel etiam laterculis extruuntur: quas singulas satis est habere quoquoversus pedes ternos, & aditus singulos firmis ostiolis munitos: quia per foeturam diligenter claudi debent. Et extra villam deinde non longe ab aedificio si est stagnum, vel flumen, alia non quaeratur aqua: sin aliter, lacus, piscinaque manu fiant, ut sint quibus inurinare possint aves. Nam sine isto praesidio non magis, quam sine terreno recte vivere queunt. Paluſtris quoque, sed herbidus ager destinetur, atque alia pabula conserantur, ut vicia, trifolium, foenum Graecum, sed praecipue genus intubi, quod σέριν Graeci appellant. Lactucae quoque in hunc usum semina vel maxime serenda sunt, quoniam & molliſſimum est olus, & libentiſſime ab his avibus appetitur. tum etiam pullis utiliſſima est esca. Haec cum praeparata sunt, curandum est, ut mares foeminaeque quam ampliſſimi corporis & albi coloris eligantur. Nam est aliud genus varium, quod a fero mitigatum domesticum factum

est. Id neque aeque foecundum est, nec tam pretiosum: propter quod minime nutriendum est. Anseribus admittendis tempus aptissimum est a bruma; mox ad pariendum, & ad incubandum a Calend. Februarii vel Martii usque ad solstitium, quod fit ultima parte mensis Junii. Ineunt autem non, ut priores aves, de quibus diximus, insistentes humi: nam fere in flumine, aut piscinis id faciunt: singulaeque ter anno pariunt, si prohibeantur foetus suos excludere, quod magis expedit, quam quum ipsae suos fovent. Nam & a gallinis melius enutriuntur, & longe major grex efficitur. Pariunt autem singulis foetibus ova, primo quina, sequenti quaterna, novissimo terna: quem partum nonnulli permittunt ipsis matribus educare, quia reliquo tempore anni vacaturae sunt a foetu. Minime autem concedendum est foeminis extra septum parere, sed cum videbuntur sedem quaerere, comprimendae sunt atque tentandae. Nam si appropinquant partus, digito tanguntur ova, quae sunt prima parte locorum genitalium. Quamobrem perduci ad haram debent, includique ut foetum edant: idque singulis semel feciſſe satis est, quoniam unaquaeque recurrit eodem, ubi primo pe-

perit. Sed noviſſimo foetu cum volumus ipſas incubare, notandi erunt uniuſcujuſque partus, ut ſuis matribus ſubjiciantur: quoniam negatur anſer aliena excludere ova, niſi ſubjecta ſua quoque habuerit. Supponuntur autem gallinis hujus generis ova, ſicut pavonina, plurima quinque, pauciſſima tria: ipſis autem anſeribus pauciſſima VII, plurima XV. Sed cuſtodiri debet, ut ovis ſubjiciantur radices urticarum, quo quaſi remedio medicantur, ne noceri poſſit excuſis anſerculis, quos enecant urticae, ſi teneros pupugerint. Pullis autem formandis excudendiſque triginta diebus opus eſt, cum ſunt frigora: nam tepidis XXV ſatis eſt. Saepius tamen anſer trigeſimo die naſcitur. Atque is dum exiguus eſt, decem primis diebus paſcitur in hara clauſus cum matre: poſtea cum ſerenitas permittit, producitur in prata & ad piſcinas. Cavendumque eſt, ne aut aculeis urticae compungatur, aut eſuriens mittatur in paſcuum: ſed ante conciſis intubis, vel lactucae foliis ſaturetur. Nam ſi adhuc parum firmus, & indigens ciborum pervenit in paſcuum, fruticibus aut ſolidioribus herbis obluctatur ita pertinaciter, ut collum abrumpat. Milium quoque aut etiam triticum

miſtum cum aqua recte praebetur. Atque ubi ſe paullum confirmavit, in gregem coaequalium compellitur, & ordeo alitur: quod & matricibus praebere non inutile eſt. Pullos autem non expedit plures in ſingulas haras, quam vicenos adjici; nec rurſus omnino cum majoribus includi, quoniam validior enecat infirmum. Cellas, in quibus incubitant, ſicciſſimas eſſe oportet, ſubſtrataſque habere paleas: vel ſi eae non ſunt, gratiſſimum quoque foenum. Caetera eadem, quae in aliis generibus pullorum ſervanda ſunt, ne coluber, ne vipera, feleſque, aut etiam muſtella poſſit aſpirare: quae fere pernicies ad internecionem proſternunt teneros. Sunt qui ordeum maceratum incubantibus apponant, nec patiantur matrices ſaepius nidum relinquere. Deinde pullis excluſis primis quinque diebus polentam vel maceratum far, ſicut pavonibus, objiciunt. Nonnulli etiam viride naſturtium confectum minutatim cum aqua praebent, eaque eis eſt eſca jucundiſſima. Mox ubi quatuor menſium ſunt, farturae maximus quiſque deſtinatur, quoniam tenera aetas praecipue habetur ad hanc rem aptiſſima: & eſt facilis harum avium ſagina: nam praeter polentam, & pollinem ter die

nihil sane aliud dari necesse est, dummodo large bibendi potestas fiat, nec vagandi facultas detur: sintque calido & tenebroso loco: quae res ad creandas adipes multum conferunt. Hoc modo duobus mensibus pinguescunt, & ea propter etiam tenerrima pullities saepe XL diebus redditur opima.

De anatibus, querquedulis & similibus.

CAP. XV. Nessotrophii cura similis, sed major impensa est. Nam clausae pascuntur anates, querquedulae, boscides, phalerides, similesque volucres, quae stagna & paludes rimantur. Locus planus eligitur, isque munitur sublimiter pedum quindecim maceria: deinde clatris superpositis, vel grandi macula retibus contegitur, ne aut evolandi sit potestas domesticis avibus, aut aquilis, vel accipitribus involandi. Sed ea tota maceries opere tectorio levigatur extra intraque, ne feles, aut viverra perrepat. Media deinde parte nessotrophii lacus defoditur in duos pedes altitudinis, spatiumque longitudini datur & latitudini, quantum loci conditio permittit. Ora lacus ne corrumpantur violentia restagnantis undae, quae semper interfluere debet, opere signino consternuntur, eaque non in gradus oportet erigi, sed paullatim

clivo subsidere, ut tamquam e litore descendatur in aquam. Solum autem stagni per circuitum, quod sit instar modi totius duarum partium, lapidibus inculcatis, ac tectorio muniendum est, ne possit herbas evomere, praebeatque nantibus aquae puram superficiem. Media rursus terrena pars esse debet, ut colocasiis conseratur, aliisque familiaribus aquae viridibus, quae inopacant avium receptacula. Sunt enim quibus cordi est vel in silvulis tamaricum, aut sirporum frutetis immorari. Nec ob hanc tamen causam totus locus silvulis occupetur, sed ut dixi, per circuitum vacet, ut sine impedimento, cum apricitate diei gestiunt aves, nandi velocitate concertent. Nam quemadmodum desiderant esse ubi irrepant, & ubi delitescentibus fluviaticis animalibus insidientur; ita offenduntur, si non sunt libera spatia, qua permeent. Extra lacum deinde per vicenos undique pedes gramine ripae vestiantur: sintque post hunc agri modum, circa maceriam, lapide fabricata & expolita tectoriis pedalia in quadratum cubilia, quibus nidificent aves: eaque contegantur interstitis buxeis aut myrteis fruticibus, qui non excedant altitudinem parietum. Statim deinde

perpetuus canaliculus humi depressus construatur, per quem quotidie misti cum aqua cibi decurrant: sic enim pabulatur id genus avium. Gratissima est & esca terrestris leguminis panicum & milium, necnon & ordeum: sed ubi copia est, etiam glans ac vinacea praebeantur. Aquatilibus autem cibis, si sit facultas, datur cammarus, & rivalis allecula, vel si qua sunt incrementi parvi fluviorum animalia. Tempora concubitus eadem, quae caeteri silvestres alites observant Martii, sequentisque mensis: per quos festucae surculique in aviariis passim spargendi sunt, ut colligere possint aves, quibus nidos construant. Sed antiquissimum est, cum quis νησσοτροφεῖον constituere volet, ut praedictarum avium circa paludes, in quibus plerumque foetant, ova colligat & cohortalibus gallinis subjiciat. Sic enim exclusi educatique pulli deponunt ingenia silvestria, clausique vivariis haud dubitanter progenerant. Nam si modo captas aves, quae consuevere libero victu, custodiae tradere velis, parere cunctantur in servitute. Sed de tutela nantium volucrum satis dictum est.

De piscinis & piscibus alendis.

CAP. XVI. Verum opportune, dum meminimus aquatilium animalium, ad curam perveniemus piscium, quorum reditum quamvis alienissimum agricultoribus putem (quid enim tam contrarium excogitare queam, quam terrenum fluido?) tamen non omittam: nam & harum studia rerum majores nostri celebraverunt, adeo quidem, ut etiam dulcibus aquis marinos clauderent pisces, atque eadem cura mugilem scarumque nutrirent, qua nunc muraena & lupus educantur. Magni enim aestimabat vetus illa Romuli & Numae rustica progenies, si urbanae vitae comparetur villatica, nulla parte copiarum defici. Quamobrem non solum piscinas, quas ipsi construxerant, frequentabant, sed etiam quos rerum natura lacus fecerat, convectis marinis seminibus replebant. Inde Velinus, inde etiam Sabatinus, & item Vulsinensis, & Ciminus lupos auratasque procreaverunt, ac si qua sint alia piscium genera dulcis undae tolerantia. Mox istam curam sequens aetas abolevit, & lautitiae locupletum maria ipsa Neptunumque clauserunt, & jam cum avorum memoria circumfertur Marcii Philippi (velut urbanissimum, quod erat luxuriosissi-

mum) factum atque dictum. Nam is forte Cassini, cum apud hospitem coenaret, appositumque e vicino flumine lupum degustasset atque expuisset, improbum factum dicto prosecutus, Peream, inquit, nisi piscem putavi. Hoc igitur perjurium multorum subtiliorem fecit gulam, doctaque & erudita palata fastidire docuit fluvialem lupum, nisi quem Tiberis adverso torrente defatigasset. Itaque Terentius Varro: Nullus est, inquit, hoc seculo nebulo ac rhinthon, qui non jam ducat, nihil sua interesse, utrum ejusmodi piscibus an ranis frequens habeat vivarium. Attamen iisdem temporibus, quibus hanc memorabat Varro luxuriem, maxime laudabatur severitas Catonis, qui nihilo minus & ipse tutor Luculli grandi aere sestertium millium quadringentorum piscinas pupilli sui venditabat. Jam enim celebres erant deliciae popinales, cum ab mari deferrentur vivaria, quorum studiosissimi, velut ante devictarum gentium Numantinus & Isauricus, ita Sergius Orata, & Licinius Muraena captorum piscium laetabantur vocabulis. Sed quoniam sic mores obcalluere, non ut haec usitata, verum ut maxime laudabilia & honesta judicarentur: nos quoque ne videamur tot jam

seculorum seri castigatores, hunc etiam quaestum villaticum patrisfamilias demonstrabimus. Qui sive insulas, sive maritimos agros mercatus, propter exilitatem soli, quae plerumque litori vicina est, fructus terrae percipere non poterit, ex mari reditum constituat. Hujus autem rei quasi primordium est, naturam loci contemplari, quo piscinas facere constitueris. Non enim omnibus litoribus omne genus piscium haberi potest. Limosa regio planum educat piscem, velut soleam, rhombum, passerem. Eadem quoque maxime idonea est conchyliis, muricibus & ostreis, purpurarumque, tum concharum pectunculis, balanis, vel sphondylis. At arenosi gurgites planos quidem non pessime, sed pelagios melius pascunt, ut auratas ac dentices, Punicasque & indigenas, umbras: verum conchyliis minus apti. Rursus optime saxosum mare nominis sui pisces nutrit, qui scilicet, quod in petris stabulentur, saxatiles dicti sunt, ut merulae, turdique, nec minus melanuri. Atque ut litorum, sic & fretorum differentias nosse oportet, ne nos alienigeni pisces decipiant. Non enim omni mari potest omnis esse, ut helops, qui Pamphylio profundo, nec alio pascitur: ut At-

lantico faber, qui & in noſtro Gadium municipio generoſiſſimis piſcibus adnumeratur, eumque priſca conſuetudine Zeum appellamus: ut ſcarus, qui totius Aſiae, Graeciaeque litoribus Sicilia tenus frequentiſſimus exit, nunquam in Liguſticum, nec per Gallias enavit ad Hibericum mare. Itaque ne ſi capti quidem perferantur in noſtra vivaria, diuturni queant poſſideri. Sola ex pretioſis piſcibus muraena, quamvis Tarſenſis, Carpathiique pelagi, quod eſt ultimum, vernacula, quovis hoſpes freto peregrinum mare ſuſtinet. Sed jam de ſitu piſcinarum dicendum eſt.

De poſitione piſcinae.

Cap. XVII. Stagnum cenſemus eximie optimum, quod ſic poſitum eſt, ut inſequens maris unda priorem ſubmoveat, nec intra conſeptum ſinat remanere veterem. Namque id ſimillimum eſt pelago, quod agitatum ventis aſſidue renovatur, nec concaleſcere poteſt: quoniam gelidum ab imo fluctum revoluit in partem ſuperiorem. Id autem ſtagnum vel exciditur in petra, cujus rariſſima eſt occaſio, vel in litore conſtruitur opere Signino. Sed utcunque fabricatum eſt, ſi

ſemper

semper influente gurgite riget, habere debet specus juxta solum, eorumque alios simplices & rectos, quo secedant squamosi greges, alios in cochleam retortos, nec nimis spatiosos, in quibus muraenae delitescant. Quamquam nonnullis commisceri eas cum alterius notae piscibus non placet: quia si rabie vexantur, quod huic generi velut canino solet accidere, saevissime persequuntur squamosos, plurimosque mandendo consumunt. Itineraque, si loci natura permittit, omni lateri piscinae dari convenit. Facilius enim vetus submovetur unda, cum quacunque parte fluctus urget, per adversam patet exitus. Hos autem meatus fieri censemus per imam conscepti partem, si loci situs ita competit, ut in solo piscinae posita libella septem pedibus sublimius esse maris aequor ostendat: nam piscibus stagni haec in altitudinem gurgitis mensura abunde est. Nec dubium, quin quanto magis imo mari venit unda, tanto sit frigidior, quod est aptissimum nantibus. Sin autem locus, ubi vivarium constituere censemus, pari libra cum aequore maris est, in pedes novem defodiatur piscina, & infra duos a summa part· cuniculus rivi perducatur cu-

randumque est, ut quam largissime veniant, quoniam modus ille aquae jacentis infra libram maris non aliter exprimitur, quam si major recentis freti vis incesserit. Multi putant in ejusmodi stagnis longos piscibus recessus, & flexuosos in lateribus specus esse fabricandos, quo sint opaciores aestuantibus latebrae. Sed si recens mare non semper stagnum permeat, id facere contrarium est. Nam ejusmodi receptacula nec facile novas admittunt aquas, nec nisi difficulter veteres emittunt: plusque nocet putris unda, quam prodest opacitas. Debent tamen similes velut cellae parietibus excavari, ut sint, quae protegant refugientes ardorem solis, & nihilominus facile, quam conceperint aquam, remittant. Verum meminisse oportebit, ut rivis per quos exundat piscina, praefigantur aenei foraminibus exiguis cancelli, quibus impediatur fuga piscium. Si vero laxitas permittit, e littore scopulos, qui praecipue herbis algae vestiuntur, non erit alienum per stagni spatia disponere, & quantum comminisci valet hominis ingenium, repraesentare faciem veri maris, ut clausi quam minime custodiam sentiant. Hac ratione stabulis or-

dinatis aquatile pecus inducemus. Sitque nobis antiquissimum meminisse etiam in fluviatili negotio, quod in terreno praecipitur, "Et quid quaeque ferat regio". Neque enim si velimus, ut in mari non nunquam conspeximus, in vivario multitudinem mullorum pascere queamus, cum sit molliſſimum genus, & servitutis indignantissimum. Raro itaque unus aut alter de multis millibus claustra patitur: at contra frequenter animadvertimus intra septa pelagios greges inertis mugilis & rapacis lupi. Quare, ut proposueram, qualitatem litoris nostri contemplemur, si vitemus scopulos, an probemus. Turdi complura genera, merulasque & avidas mustellas, tum etiam sine macula (nam sunt & varii) lupos includemus. Item flutas, quae maxime probantur, muraenas, & si quae sint aliae saxatilis notae, quarum pretia vigent. Nam vile ne captare quidem, nedum alere conducit. Possunt ista eadem genera etiam littoris arenosi stagnis contineri. Nam quae limo coenoque lutescunt, ut ante jam dixi, conchyliis magis & jacentibus apta sunt animalibus. Neque est eadem lacus positio, quae recipit cubantes: atque eadem praebentur cibaria,

& proſtratis piſcibus, & erectis. Namque ſoleis ac rhombis, & ſimillimis animalibus, humilis in duos pedes piſcina deprimitur in ea parte littoris, quae profluo receſſu nunquam deſtituitur. Spiſſi deinde clatri marginibus infiguntur, qui ſuper aquam ſemper emineant, etiam cum maris aeſtus intumuerit. Mox praejaciuntur in gyrum moles, ita ut complectantur ſinu ſuo, & tamen excedant ſtagni modum. Sic enim & maris atrocitas objectu crepidinis frangitur, & in tranquillo conſiſtens piſcis ſedibus ſuis non exturbatur, neque ipſum vivarium repletur algarum congerie, quam tempeſtatibus eructat pelagi violentia. Oportebit autem nonnullis locis moles intercidi more Maeandri, parvis ſed anguſtis itineribus, quae quantalibet hiemis ſaevitia mare ſine fluctu tranſmittat. Hinc eſca jacentium mollior eſſe debet, quam ſaxatilium. Nam quia dentibus carent, aut lambunt cibos, aut integros hauriunt, mandere quidem non poſſunt. Itaque praeberi convenit tabenteis haleculas, & ſalibus exeſam chalcidem, putremque ſardiniam, nec minus ſcarorum branchias, vel quicquid inteſtini pelamis aut lacertus gerit: tum ſcom-

bri, carcharique & elacatae ventriculos, & ne per singula enumerem salsamentorum omnium purgamenta, quae caetariorum officinis everruntur. Nos autem plura nominavimus genera, non quia cuncta cunctis littoribus exeunt, sed ut ex his aliqua, quorum erit facultas, praebeamus. Facit etiam ex pomis viridibus adaperta ficus; & nuces digitis infractae sunt dandae: nec minus elixum molle sorbum; quique sunt cibi sorbilibus proximi, ut e mulctra, recens caseus, si loci conditio, vel lactis annona permittit. Nulla tamen aeque, quam praedictae salsurae pabula commode dantur, quoniam odorata sunt. Omnis enim jacens piscis magis naribus escam, quam oculis vestigat. Nam dum supinus semper cubat, sublimius aspectat, & ea, quae in plano sunt, dextra laevaque non facile pervidet. Itaque cum salsamenta objecta sunt, eorum sequens odorem, pervenit ad cibos. Caeteri autem saxatiles aut pelagici satis ex his, sed ex recentibus melius pascuntur. Nam & halecula modo capta, & cammarus exiguusque gobio, & quisquis denique est incrementi minuti piscis, majorem alit. Siquando tamen hiemis

saevitia non patitur ejus generis escam dari, vel sordidi panis offae, vel fiqua sunt temporis poma concisa praebentur. Ficus quidem arida semper objicitur, eximia si sit (ut Baeticae, Numidiaeque regionum) larga. Caeterum illud committi non debet, quod multi faciunt, ut nihil praebeant, quia semetipsos etiam diu clausi tolerare possint. Nam nisi piscis domini cibariis saginatur, cum ad piscatorium forum perlatus est, macies indicat eum non esse libero mari captum, sed de custodia elatum, propter quod plurimum pretio detrahitur. Atque haec villatica pastio finem praesenti disputationi faciat, ne immodico volumine lector fatigetur. Redibimus autem sequenti exordio ad curam silvestrium pecorum, cultumque apum.

L. J. M. COLVMELLAE
DE
RERVSTICA
LIBER NONVS

PRAEFATIO

VENIO nunc ad tutelam pecudum silvestrium & apium educationem: quas & ipsas, Publi Silvine, villaticas pastiones jure dixerim, siquidem mos antiquus lepusculis capreisque, ac similibus feris juxta villam plerumque subjecta dominicis habitationibus ponebat vivaria, ut & conspectu suo clausa venatio possidentis oblectaret oculos, & cum exegisset usus epularum, velut e cella promerentur. Apibus quoque dabatur sedes adhuc nostra memoria, vel in ipsis villae parietibus excisis, vel in protectis porticibus ac pomariis. Quare quoniam tituli, quem scripsimus huic disputationi, ratio reddita est, ea nunc quae proposuimus singula persequamur.

CAPVT I.

De vivariis faciendis & includendis pecudibus feris.

FERAE pecudes, ut capreoli, damaeque, nec minus orygum cervorumque genera & aprorum, modo lautitiis & voluptatibus dominorum serviunt, modo quaestui ac reditibus. Sed qui venationem voluptati suae claudunt, contenti sunt, utcunque competit proximus aedificio loci situs, munire vivarium, semperque de manu cibos & aquam praebere: qui vero quaestum reditumque desiderant, cum est vicinum villae nemus (id enim refert non procul esse ab oculis domini) sine cunctatione praedictis animalibus destinant. Et si naturalis defuit aqua, vel inducitur fluens, vel infossi lacus Signino consternuntur, qui receptam pluviatilem contineant. Modus silvae pro cujusque facultatibus occupatur, ac si lapidis & operae vilitas suadeat, haud dubie caementis & calce formatus circumdatur murus: sin aliter, crudo latere ac luto constructus. Ubi vero neutrum patrifamiliae conducit, ratio postulat vacerris includi: sic enim appellatur genus clatrorum: idque fabricatur ex robore, quercu, vel sub-

ere. Nam oleae rara est occasio. Quidquid denique sub injuria pluviarum magis diuturnum est, pro conditione regionis ad hunc usum eligitur. Et sive teres arboris truncus, sive ut crassitudo postulat, erit fissilis stipes, compluribus locis per latus efforatur, & in circuitu vivarii certis intervenientibus spatiis defixis erigitur: deinde per transversa laterum cava transmittuntur ramices, qui exitus ferarum obserent. Satis est autem vacerras inter pedes octonos defigere, serisque transversis ita clatrare, ne spatiorum laxitas, quae foraminibus intervenit, pecudi praebeat fugam. Hoc autem modo licet etiam latissimas regiones, tractusque montium claudere, sicuti Galliarum, necnon & in aliis quibusdam provinciis locorum vastitas patitur. Nam & fabricandis ingens est vacerris materiae copia, & caetera in hanc rem feliciter suppetunt. Quippe crebris fontibus abundat solum, quod est maxime praedictis generibus salutare: tum etiam sua sponte pabula feris benignissime subministrat: praecipueque saltus eliguntur, qui & terrenis foetibus, & arboreis abundant. Nam ut graminibus, ita frugibus roburneis opus habent: maximeque laudantur, qui sunt feraciissimi querneae glan-

dis & iligneae, nec minus cerreae, tum & arbuti, caeterorumque pomorum silvestrium, quae diligentius persecuti sumus, cum de cohortalibus pecudibus disputaremus. Nam eadem fere sunt pecudum silvestrium pabula, quae domesticarum. Contentus tamen non debet esse diligens paterfamilias cibis, quos suapte natura terra gignit; sed temporibus anni, quibus silvae pabulis carent, condita messe clausis succurrere, ordeoque alere, vel adoreo farre, aut faba, plurimumque etiam vinaceis, & quicquid denique viliſſime constiterit, dare. Idque ut intelligant ferae praeberi, unam vel alteram domi manſuefactam conveniet immittere, quae pervagata totum vivarium cunctantes ad objecta cibaria pecudes perducat. Nec solum istud per hiemis penuriam fieri expedit, sed cum etiam foetae partus ediderint, quo melius educent natos. Itaque custos vivarii frequenter speculari debebit, si jam effoetae sint, ut manu datis sustineantur frumentis. Nec vero patiendus est oryx, aut aper, aliusve quis ferus ultra quadrimatum senescere. Nam usque in hoc tempus capiunt incrementa, postea macescunt senectute. Quare dum viridis aetas pulchritudinem corporis conservat, aere mutandi

sunt. Cervus autem compluribus annis sustineri potest. Nam diu juvenis possidetur, quod aevi longioris vitam sortitus est. De minoris autem incrementi animalibus, qualis est lepus, haec praecipimus, ut in iis vivariis, quae maceria munita sunt, farraginis, & olerum ferae intubi lactucaeque semina parvulis areolis per diversa spatia factis injiciantur. Itemque Punicum cicer, vel hoc vernaculum, nec minus ordeum, & cicercula condita ex horreo promantur, & aqua caelesti macerata objiciantur. Nam sicca non nimis ab lepusculis appetuntur. Haec porro animalia, vel similia his (etiam silente me) facile intelligitur, quam non expediat conferre in id vivarium, quod vacerris circumdatum est: siquidem propter exiguitatem corporis facile elatris subrepunt, & liberos nacta egressus fugam moliuntur.

De apibus.

Cap. II. Venio nunc ad alveorum curam, de quibus neque diligentius quidquam praecipi potest, quam ab Hygino jam dictum est, nec ornatius quam Virgilio, nec elegantius quam Celso. Hyginus veterum auctorum placita, secretis dispersa monimentis, industrie collegit: Virgilius poeticis floribus illumina-

vit: Celsus utriusque memorati adhibuit modum. Quare ne attentanda quidem nobis fuit haec disputationis materia, nisi quod consummatio susceptae professionis hanc quoque sui partem desiderabat, ne universitas inchoati operis nostri, velut membro aliquo reciso, mutila atque imperfecta conspiceretur. Atque ea, quae Hyginus fabulose tradita de originibus apum non intermisit, poeticae magis licentiae, quam nostrae fidei concesserim. Nec sane rustico dignum est scisciтari, fuerit ne mulier pulcherrima specie Melissa, quam Jupiter in apem convertit, an (ut Euhemerus poeta dicit) crabronibus & sole genitas apes, quas nymphae Phryxonides educaverunt, mox Dictaeo specu Jovis extitisse nutrices, easque pabula munere dei sortitas quibus ipsae parvum educaverant alumnum. Ista enim, quamvis non dedeceant poetam, summatim tamen & uno tantummodo versiculo leviter attigit Virgilius, cum sic ait: "Dictaeo caeli regem pavere sub antro". Sed ne illud quidem pertinet ad agricolas, quando & in qua regione primum natae sint: utrum in Thessalia sub Aristaeo, an in insula Cea, ut scribit Euhemerus, an Erichthonii temporibus in monte Hymetto, ut Euthro-

nius; an Cretae Saturni temporibus, ut Nicander: non magis, quam utrum examina, tanquam caetera videmus animalia, concubitu sobolem procreent, an haeredem generis sui floribus eligant, quod affirmat noster Maro: & utrum evomant liquorem mellis, an alia parte reddant. Haec enim & his similia, magis scrutantium rerum naturae latebras, quam rusticorum est inquirere. Studiosis quoque literarum gratiora sunt ista in otio legentibus, quam negotiosis agricolis. Quoniam neque in opere, neque in re familiari quidquam juvant.

Quot genera sint apum, & quod ex iis optimum.

CAP. III. Quare revertamur ad ea, quae alveorum cultoribus magis apta sunt. Peripateticae sectae conditor Aristoteles in iis libris, quos de animalibus conscripsit, apum sive examinum genera complura demonstrat, earumque alias vastas, sed glomerosas, easdemque nigras & hirsutas apes habent: alias minores quidem, sed aeque rotundas, & infusci coloris, horridique pili: alias magis exiguas, nec tam rotundas, sed obesas tamen, & latas, coloris meliusculi: nonnullas minimas, gracilesque, & acuti alvei, ex aureolo

varias atque leves: ejuſque auctoritatem ſequens Virgilius, maxime probat parvulas, oblongas, leves, nitidas, "Ardentes auro, & paribus lita corpora guttis", moribus etiam placidis. Nam quanto grandior apis, atque etiam rotundior, tanto pejor. Si vero ſaevior, maxime peſſima eſt. ſed tamen iracundia notae melioris apium facile delinitur aſſiduo interventu eorum, qui curant alvearia. Nam cum ſaepius tractantur, celerius manſueſcunt, durantque ſi diligenter excultae ſunt, in annos decem, nec ullum examen hanc aetatem poteſt excedere, quamvis in demortuarum locum quotannis pullos ſubſtituant. Nam fere decimo ab internicione anno, gens univerſa totius alvei conſumitur. Itaque ne hoc in toto apiario fiat, ſemper propaganda erit ſoboles, obſervandumque vere cum ſe nova profundent examina, ut excipiantur, & domiciliorum numerus augeatur. Nam ſaepe morbis intercipiuntur, quibus quemadmodum mederi oportet, ſuo loco dicetur.

Quales paſtiones, & qui ſitus paſtionum apium eſſe debeat.

Cap. IV. Interim per has notas, quas jam diximus, probatis apibus deſtinari debent

pabulationes, eaeque sint secretissimae, & ut noster praecipit Maro, viduae pecudibus, aprico, & minime procelloso caeli statu: "Quo neque sit ventis aditus; nam pabula venti Ferre domum prohibent: neque oves, hoedique petulci Floribus insultent, aut errans bucula campo Decutiat rorem, & surgentes atterat herbas". Eademque regio foecunda sit fruticis exigui & maxime thymi, aut origani, tum etiam thymbrae, vel nostratis cunilae, quam satureiam rustici vocant. Post haec frequens sit incrementi majoris surculus, ut rosmarinus & utraque cytisus. Est enim sativa, & altera suae spontis. Itemque semper virens pinus, & minor ilex: nam prolixior ab omnibus improbatur. Ederae quoque non propter bonitatem recipiuntur, sed quia praebent plurimum mellis. Arbores vero sunt probatissimae, rutila atque alba ziziphus, nec minus amarantus, tum etiam amygdalae, & persici atque pyri, denique pomiferarum pleraeque, ne singulis immorer. At silvestrium commodissime faciunt glandifera robora, quin etiam terebinthus, nec dissimilis huic lentiscus & odorata cedrus. At tiliae solae ex omnibus sunt nocentes: taxi repudiantur. Mille praeterea semina vel cru-

do caespite virentia, vel subacta sulco, flores amiciſſimos apibus creant, ut sunt in irriguo solo frutices amelli, caules acanthini, scapus asphodeli, gladiolus narciſſi. At in hortensi lira consita nitent candida lilia, nec his sordidiora leucoia, tum punicae rosae, luteolaeque & Sarranae violae, nec minus caelestis numinis hyacinthus, Corycius item Siculusque bulbus croci deponitur, qui coloret odoretque mella. Jam vero notae vilioris innumerabiles nascuntur herbae, cultisque atque pascuis regionibus, quae favorum ceras exuberant: ut vulgares lapsanae, nec his pretiosior armoratia, rapistrique olus, & intubi silvestris ac nigri papaveris flores, tum agrestis pastinaca, & ejusdem nominis edomita, quam Graeci σαφυλῖνον vocant. Verum ex cunctis, quae proposui, quaeque omisi temporis compendia sequens (nam inexputabilis erat numerus) saporis praecipui mella reddit thymus. Thymo deinde proxima thymbra, serpyllumque & origanum. Tertiae notae, sed adhuc generosae, marinus ros, & nostras cunila, quam dixi satureiam mediocris deinde gustus amarantini ac ziziphi flores, reliquaque, quae proposuimus, cibaria. Sed ex omnibus deterrimae notae mel habetur nemorense,

morense, quod ex sparto atque arbuto provenit: villaticum, quod nascitur in oleribus & stercorosis herbis. Et quoniam situm pastionum, atque etiam genera pabulorum exposui, nunc de ipsis receptaculis & domiciliis examinum loquar.

De sedibus apum eligendis.

Cap. V. Sedes apibus collocanda est contra brumalem meridiem, procul a tumultu & coetu hominum ac pecudum, nec calido loco, nec frigido: nam utraque re infestantur. Haec autem sit ima parte vallis, & ut vacuae cum prodeunt pabulatum apes, facilius editioribus advolent, & collectis utensilibus, cum onere per proclivia non aegre devolent. Si villae situs ita competit, non est dubitandum, quin aedificio junctum apiarium maceria circumdemus, sed in ea parte, quae tetris latrinae, sterquiliniique & balinei libera est odoribus. Verum si positio repugnabit, nec maxima tamen incommoda congruent, sic quoque magis expedit, & sub oculis domini esse apiarium. Sin autem cuncta fuerint inimica, certe vicina vallis occupetur, quo saepius descendere non sit grave possidenti. Nam res ista maximam fidem desiderat; quae quoniam rarissima est, interventu domini tutius custodi-

tur. Neque ea curatorem fraudulentum tantum, sed etiam immundae segnitiae perosa est. Aeque enim dedignatur, si minus pure habita est, ac si tractetur fraudulenter. Sed ubicunque fuerint alvearia, non editissimo claudantur muro. qui si metu praedonum sublimior placuerit, tribus elatis ab humo pedibus, exiguis in ordinem fenestellis apibus sit pervius: jungaturque tugurium, quo & custodes habitent, & condatur instrumentum: sitque maxime repletum praeparatis alveis ad usum novorum examinum, nec minus herbis salutaribus, & siqua sunt alia, quae languentibus adhibentur. "Palmaque vestibulum, aut ingens oleaster obumbret, Ut cum prima novi ducent examina reges, Vere suo, ludetque favis emissa juventus: Vicina invitet decedere ripa calori, Obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos". Tum perennis aqua, si est facultas, inducatur, vel extructo canali manu detur, sine qua neque favi, neque mella, nec pulli denique figurari queunt. Sive igitur, ut dixi, praeterfluens unda, vel putealis canalibus immissa fuerit, virgis ac lapidibus aggeretur apum causa, "Pontibus ut crebris possint consistere, & alas Pandere ad aestivum solem, si forte moranteis Spar-

ferit, aut praeceps Neptuno immerserit Eurus". Conseri deinde circa totum apiarium debent arbusculae incrementi parvi, maximeque propter salubritatem. Nam sunt etiam remedio languentibus cytisi, tum deinde casiae, atque pini, & rosmarinus: quin etiam cunilae & thymi frutices, itemque violarum, vel quaecunque utiliter deponi patitur qualitas terrae. Gravis & tetri odoris non solum virentia, sed & quaelibet res prohibeantur, sicuti cancri nidor, cum est ignibus adustus, aut odor palustris coeni. Nec minus vitentur cavae rupes, aut valles argutae, quas Graeci ἠχεῖς vocant.

De vasis alveorum probandis.

Cap. VI. Igitur ordinatis sedibus, alvearia fabricanda sunt pro conditione regionis. Sive illa ferax est suberis, haud dubitanter utilissimas alvos faciemus ex corticibus, quia nec hieme rigent, nec candent aestate: sive ferulis exuberat, iis quoque, cum sint naturae corticis similes, aeque commode vasa texuntur. Si neutrum aderit, opere textorio salicibus connectuntur: vel si nec haec suppetent, ligno cavatae arboris aut in tabulas desectae fabricabuntur. Deterrima est conditio fictilium, quae & accenduntur aestatis va-

poribus, & gelantur hyemis frigoribus. Reliqua sunt alveorum genera duo, ut vel ex fimo fingantur, vel lateribus extruantur: quorum alterum jure damnavit Celsus, quoniam maxime est ignibus obnoxium; alterum probavit, quamvis incommodum ejus praecipuum non dissimulaverit, quod, si res postulet, transferri non possit. Itaque non assentior ei, qui putat nihilo minus ejus generis habendas esse alvos: neque enim solum id repugnat rationibus domini, quod immobiles sint, cum vendere aut alios agros instruere velit; (hoc enim commodum pertinet ad utilitatem solius patrisfamilias) sed quod ipsarum apium causa fieri debet, cum aut morbo, aut sterilitate, aut penuria locorum vexatas conveniat in aliam regionem mitti, nec propter praedictam causam moveri poterunt. Hoc maxime vitandum est. Itaque quamvis doctissimi viri autoritatem reverebar, tamen ambitione submota, quid ipse censerem, non omisi. Nam quod maxime movet Celsum, ne sint stabula vel igni, vel furibus obnoxia, potest vitari opere lateritio circumstructis alvis, ut impediatur rapina praedonis, & contra flammarum violentiam protegantur: easdemque, cum fuerint movendae, resolutis structurae compagibus, licebit transferre.

Quemadmodum alvei collocandi sint.

CAP. VII. Sed quoniam pleriſque videtur iſtud operoſum, qualiacunque vaſa placuerint collocari, debebit ſuggeſtus lapideus extendi per totum apiarium in tres pedes altitudinis, totidemque craſſitudinis; iſque ſic extructus, diligenter opere tectorio levigari, ita ne aſcenſus lacertis, aut anguibus, aliiſve noxiis animalibus praebeatur. Superponuntur deinde, ſive (ut Celſo placet) lateribus facta domicilia, ſive (ut nobis) alvearia, praeterquam a tergo circumſtructa: ſeu quod pene omnium in uſu eſt, qui modo diligenter iſta curant, per ordinem vaſa diſpoſita legantur, vel laterculis, vel caementis, ita ut ſingula binis parietibus anguſtis contineantur, liberaeque frontes utrinque ſint. Nam & qua procedunt, nonnunquam patefaciendae ſunt, & multo magis a tergo, quia ſubinde curantur examina. Sin autem nulli parietes alvis intervenient, ſic tamen collocandae erunt, ut paullum altera ab altera diſtet, ne, cum inſpiciuntur, ea, quae in curatione tractatur, haerentem ſibi alteram concutiat, vicinaſque apes conterat, quae omnem motum imbecillis cereis operibus ſuis, tanquam ruinam timent. Ordines quidem vaſorum ſuperin-

ſtructos in altitudinem treis eſſe abunde eſt, quoniam ſummum ſic quoque parum commode curator inſpicit. Ora cavearum, quae praebent apibus veſtibula, proniora ſint, quam terga, ut ne influant imbres, & ſi forte tamen ingreſſi fuerint, non immorentur, ſed per aditum effluant. propter quod convenit alvearia porticibus ſupermuniri. ſin aliter, luto Punico frondibus illinitis adumbrari, quod tegmen cum frigora & pluvias, tum aeſtus arcet. Nec tamen ita nocet huic generi caloris aeſtus, ut hiems. Itaque ſemper aedificium ſit poſt apiarium, quod Aquilonis excipiat injuriam, ſtabuliſque praebeat teporem. Nec minus ipſa domicilia, quamvis aedificio protegantur, obverſa tamen ad hibernum orientem componi debebunt, ut apricum habeant apes matutinum egreſſum, & ſint experrectiores. Nam frigus ignaviam creat. propter quod etiam foramina, quibus exitus aut introitus datur, anguſtiſſima eſſe debent, ut quam minimum frigoris admittant: eaque ſatis eſt ita forari, ne poſſint capere plus unius apis incrementum. Sic nec venenatus ſtellio, nec obſcaenum ſcarabei vel papilionis genus, lucifugaeque blattae, ut ait Maro, per laxiora ſpatia januae favos populantur. At-

que utiliſſimum eſt, pro frequentia domicilii, duos vel tres aditus in eodem operculo diſtantes inter ſe fieri contra fallaciam lacerti, qui velut cuſtos veſtibuli prodeuntibus inhians apibus affert exitium, eaeque pauciores intereunt, cum licet vitare peſtis obſidia per aliud vadentibus effugium.

De comparandis apibus, & quemadmodum ſilveſtria examina capiantur.

Cap. VIII. Atque haec de pabulationibus, domiciliis, & ſedibus eligendis abunde diximus: quibus proviſis, ſequitur ut examina deſideremus. Ea porro vel aere parta, vel gratuita contingunt. Sed quas pretio comparabimus, ſtudioſius praedictis comprobemus notis, & earum frequentiam prius quam mercemur, apertis alvearibus conſideremus: vel ſi non fuerit inſpiciendi facultas, certe id quod contemplari licet, notabimus: ut in veſtibulo januae complures conſiſtant, & vehemens ſonus intus murmurantium exaudiatur. Atque etiam (ſi omnes intra domicilium ſilentes forte conquieſcant) labris foramini aditus admotis, & inflato ſpiritu ex reſpondente earum ſubito fremitu poterimus aeſtimare vel multitudinem, vel paucitatem. Praecipue autem cuſtodiendum eſt, ut ex

vicinia potius, quam ex peregrinis regionibus petantur, quoniam solent caeli novitate lacessiri. Quod si non contingit, ac necesse habuerimus longinquis itineribus advehere, curabimus ne salebris solicitentur, optimeque noctibus collo portabuntur. Nam diebus requies danda est, & infundendi sunt grati apibus liquores, quibus intra clausum alantur. Mox cum perlatae domum fuerint, si dies supervenerit, nec aperiri, nec colocari oportebit alveum, nisi vesperi, ut apes placidae mane post totius noctis requiem egrediantur: specularique debemus fere triduo, an universae se profundant: quod cum faciunt, fugam meditantur. Ea remedia, quibus debeant inhiberi, mox praecipiemus. At quae dono, vel aucupio contingunt, minus scrupulose probantur: quamquam nec sic quidem velim nisi optimas possidere, cum & impensam & eandem operam custodis postulent bonae, atque improbae: & quod maxime refert, non sunt degeneres intermiscendae, quae infament generosas. Nam minor fructus mellis respondet, cum segniora interveniunt examina. Verumtamen quoniam interdum propter conditionem locorum vel mediocre pecus (nam malum nullo quidem modo) pa-

randum est, curam vestigandis examinibus hac ratione adhibebimus. Ubicunque saltus sunt idonei, mellifici, nihil antiquius apes, quam, quibus utantur, vicinos eligunt fontes. Eos itaque convenit plerumque ab hora secunda obsideri, specularique quae turba sit aquantium. Nam si paucae admodum circumvolant (nisi tamen complura capita rivorum diductas faciunt rariores) intelligenda est earum penuria, propter quam locum quoque non esse mellificum suspicabimur. At si commeant frequentes, spem quoque aucupandi examina majorem faciunt, eaque sic inveniuntur. Primum quam longe sint explorandum est, praeparandumque in hanc rem liquida rubrica: qua cum festucis illitis contigeris apum terga fontem libantium, commoratus eodem loco facilius redeuntes agnoscere poteris; ac si non tarde id facient, scias eas in vicino consistere: sin autem serius, pro morae tempore aestimabis distantiam loci. Sed cum animadverteris celeriter redeuntes, si non aegre persequeris iter volantium, ad sedem perduceris examinis. In iis autem, quae longius meare videbuntur, solertior adhibebitur cura, quae talis est. Arundinis internodium cum suis articulis exciditur, &

terebratur ab latere talea, & per id foramen, exiguo melle vel defruto inſtillato, ponitur juxta fontem. Deinde cum ad odorem dulcis liquoris complures apes irrepſerunt, tollitur talea, & appoſito foramini pollice non emittitur, niſi una, quae cum evaſit, fugam ſuam demonſtrat obſervanti: atque is, dum ſufficit, perſequitur evolantem. Cum deinde conſpicere deſiit apem, tum alteram emittit: & ſi eandem petit caeli partem, veſtigiis prioribus inhaeret [&] ſi minus, aliam quoque atque aliam foramine adaperto patitur egredi; regionemque notet, in quam plures revolent, & eas perſequatur, donec ad latebram perducatur examinis. quod ſi eſt abditum ſpecu, fumo elicitur, & cum erupit, aeris ſtrepitu coercetur. Nam ſtatim ſono territum, vel in frutice, vel in editiore ſilvae fronde conſidet, & a veſtigatore praeparato vaſe reconditur. Sin autem ſedem habet arboris cavae, & aut extat ramus, quem obtinent, aut ſunt in ipſius arboris trunco, tunc, ſi mediocritas patitur, acutiſſima ſerra, quo celerius id fiat, praeciditur primum ſuperior pars, quae ab apibus vacat; deinde inferior, quatenus videtur inhabitari. Tum reciſus, utraque parte mundo veſtimento contegitur,

quoniam hoc quoque plurimum refert, ac si quibus rimis hiat, illinitur & ad locum perfertur: relictisque parvis (ut jam dixi) foraminibus, more caeterarum alvorum collocatur. Sed indagatorem convenit matutina tempora vestigandi eligere, ut spatium diei habeat, quo exploret commeatus apum. Saepe enim, si serius coepit eas denotare, etiam cum in propinquo sunt, justis operum peractis, se recipiunt, nec remeant ad aquam: quo evenit ut vestigator ignoret, quam longe a fonte distet examen. Sunt qui per initia veris apiastrum, atque (ut ille vates ait) "Trita meliphylla, & cerinthae ignobile gramen", aliasque colligant similes herbas, quibus id genus animalium delectatur, & ita alvos perfricent, ut odor & succus vasi inhaereat: quae deinde mundata exiguo melle respergant, & per nemora non longe a fontibus disponant, eaque cum repleta sunt examinibus, domum referant. Sed hoc nisi locis, quibus abundant apes, facere non expedit. Nam saepe inania vasa nacti, qui forte praetereunt, secum auferunt: neque tamen est tanti vacua perdere complura, ut uno vel altero potiare pleno. At in majore copia, etiam si multa intercipiuntur, plus est quod in re-

pertis apibus acquiritur. Atque haec est ratio capiendi silvestria examina.

Quemadmodum vernacula examina observentur, & in alveos condantur.

CAP. IX. Deinceps talis altera est vernacula retinendi. Semper quidem custos sedule circumire debet alvearia. Neque enim ullum tempus est, quo non curam desiderent; sed eam postulant diligentiorem, cum vernant & exundant novis foetibus, qui nisi curatoris obsidio protinus excepti sunt, diffugiunt. Quippe talis est apium natura, ut pariter quaeque plebs generetur cum regibus; qui ubi evolandi vires adepti sunt, consortia dedignantur vetustiorum, multoque magis imperia: quippe cum rationabili generi mortalium, tum magis egentibus consilii mutis animalibus, nulla sit regni societas. Itaque novi duces procedunt, cum sua juventute, quae uno aut altero die in ipso domicilii vestibulo glomerata consistens, egressu suo propriae desiderium sedis ostendit; eaque velut patria contenta est, si a procuratore protinus assignetur. Sin autem defuit custos, velut injuria repulsa, peregrinam regionem petit; quod ne fiat, boni curatoris est vernis temporibus observare alveos in octavam fere diei horam,

poſt quam non temere ſe nova proripiunt agmina; eorumque egreſſus regreſſuſque ut diligentius cuſtodiat. Nam quaedam ſolent, cum ſubito evaſerunt, ſine cunctatione ſe proripere. Poterit exploratam fugam praeſciſcere veſpertinis temporibus aurem ſingulis alveis admovendo. Siquidem fere ante triduum, quam eruptionem facturae ſint, velut militaria ſigna moventium tumultus ac murmur exoritur: ex quo, ut veriſſime dicit Virgilius, "Corda licet vulgi praeſciſcere: namque morantes Martius ille aeris rauci canor increpat, & vox Auditur fractos ſonitus imitata tubarum". Itaque maxime obſervari debet, quae iſtud faciunt, ut ſive ad pugnam eruperint, (nam inter ſe tanquam civilibus bellis & cum alteris, quaſi cum exteris gentibus, praeliantur) ſive fugae cauſa ſe proripuerint, praeſto ſit ad utrumque caſum paratus cuſtos. Pugna quidem vel unius inter ſe diſſidentis, vel duorum examinum diſcordantium facile compeſcitur: nam ut idem ait, "Pulveris exigui jactu compreſſa quieſcit": aut mulſo, paſſove, aut alio quovis liquore ſimili reſperſo, videlicet familiari dulcedine ſaevientium iras mitigante. Nam eadem mire etiam diſſidentes reges conciliant. Sunt enim

saepe plures unius populi duces, & quasi procerum seditione plebs in partes diducitur: quod frequenter fieri prohibendum est, quoniam intestino bello totae gentes consumuntur. Itaque si constat principibus gratia, manet pax incruenta. Sin autem saepius aciem dimicanteis notaveris, duces seditionum interficere curabis: dimicantium vero praelia praedictis remediis sedantur. Ac deinde cum agmen glomeratum in proximo frondentis arbusculae ramo consederit; animadvertito, an totum examen in speciem unius uvae dependeat: idque signum erit, aut unum regem inesse, aut certe plures bona fide reconciliatos; quos sic patieris, dum in suum revolent domicilium. Sin autem duobus, aut etiam compluribus velut uberibus diductum fuerit examen, ne dubitaveris, & plures proceres, & adhuc iratos esse. Atque in iis partibus, quibus maxime videris apes glomerari, requirere duces debebis. Itaque succo praedictarum herbarum, id est, melissophylli, vel apiastri manu illita, ne ad tactum diffugiant, leviter inseres digitos, & diductas apes scrutaberis, donec auctorem pugnae, quem elidere debes, reperias.

Quae sit forma regis apum.

CAP. X. Sunt autem ii reges majores paullo & oblongi magis, quam caeterae apes, rectioribus cruribus, sed minus amplis pinnis, pulchri coloris, & nitidi, levesque, ac sine pilo, sine spiculo, nisi quis forte pleniorem quasi capillum, quem in ventre gerunt, aculeum putet, quo & ipso tamen ad nocendum non utuntur. Quidam etiam infusci atque hirsuti reperiuntur, quorum pro habitu damnabis ingenium. "Namque duae regum facies, duo corpora gentis. Alter erit maculis auro squalentibus ardens, Et rutilis clarus squamis, insignis & ore". Atque hic maxime probatur, qui est melior: nam deterior sordido sputo similis tam foedus est, "Quam pulvere ab alto Cum venit, & sicco terram spuit ore viator". Et, ut idem ait: "Desidia, latamque trahens inglorius alvum". Omnes igitur duces notae deterioris "Dede neci, melior vacua sine regnet in aula". Qui tamen & ipse spoliandus est alis, ubi saepius cum examine suo conatur eruptione facta profugere. Nam velut quadam compede retinebimus erronem ducem, detractis alis; qui fugae destitutus praesidio, finem regni non audet excedere, propter quod ne di-

tionis quidem suae populo permittit longius evagari.

Quomodo apum paucitas emendetur.

CAP. XI. Sed nonnunquam necandus est, cum vetus alveare numero apum destituitur, atque infrequentia ejus aliquo examine replenda est. Itaque cum primo vere in eo vase nata est pullities, novus rex eliditur, ut multitudo sine discordia cum parentibus suis conversetur. Quod si nullam progeniem tulerint favi, duas vel tres alveorum plebes in unum contribuere licebit. sed prius respersas dulci liquore: tum demum includere, & posito cibo, dum conversari consuescant, exiguis spiramentis relictis triduo fere clausas habere. Sunt qui seniorem potius regem submoveant, quod est contrarium: quippe turba vetustior, si elidatur, velut quidam senatus junioribus pareat necesse est, & siquae sint imperia validiorum contumaciter spernentes, poenis ac mortibus afficiuntur. Illud tamen incommodum juniori examini solet accidere, cum antiquarum apium relictus a nobis rex senectute deficit, quod tanquam domino mortuo familia nimia licentia discordat: cui facile occurritur. Nam ex iis alveis, quae plureis habent principes, dux unus eligitur:

gitur: isque translatus ad eas, quae sine imperio sunt, rector constituitur. Potest autem minore molestia in iis domiciliis, quae aliqua peste vexantur, paucitas apium emendari. Nam ubi cognita est clades infrequentis alvei, quos habeat favos oportet considerare: tum deinde cerae, quae semina pullorum continet, partem recidere, in qua regii generis proles animatur. Est autem facilis conspectu, quoniam fere in ipso fine cerarum velut papilla uberis apparet eminentior, & laxioris fistulae, quam sint reliqua foramina, quibus popularis notae pulli detinentur. Celsus quidem affirmat, in extremis favis transversas fistulas esse, quae contineant regios pullos. Hyginus quoque, auctoritatem Graecorum sequens, negat ex vermiculo (ut caeteras apes) fieri ducem, sed in circuitu favorum paullo majora quam sint plebeii seminis, inveniri recta foramina repleta quasi sorde rubri coloris, ex qua protinus alatus rex figuretur.

De condendo examine, & ejus fuga inhibenda.

Cap. XII. Est & illa vernaculi examinis cura, si forte praedicto tempore facta eruptione patriam fastidiens sedem longiorem

fuga denuntiavit. Id autem significat, cum sic apis evadit vestibulum, ut nulla intro revolet, sed se confestim levet sublimius. Crepitaculis aëreis, aut testarum plerumque vulgo jacentium sonitu terreatur fugiens juventus: eaque vel pavida cum repetierit alvum maternam, & in ejus aditu glomerata pependerit, vel statim se ad proximam frondem contulerit; protinus custos novum loculamentum in hoc praeparatum perliniat intrinsecus praedictis herbis: deinde guttis mellis respersum admoveat: tum manibus, aut etiam trulla congregatas apes recondat: atque, uti debet, adhibita caetera cura, diligenter compositum & illitum vas interim patiatur in eodem loco esse, dum advesperascat. Primo deinde crepusculo transferat & reponat in ordinem reliquorum alveorum. Oportet autem etiam vacua domicilia collocata in apiariis habere. Nam sunt nonnulla examina, quae cum processerint, statim sedem sibi quaerant in proximo, eandemque occupent, quam vacuam repererint: Haec fere acquirendarum, ac etiam retinendarum apium traditur cura.

Remedia apum morbo laborantium.

Cap. XIII. Sequitur, ut morbo vel pe-

ſtilentia laborantibus remedia deſiderentur. Peſtilentiae rara in apibus pernicies, nec tamen aliud, quam quod in caetero pecore praecepimus, quid fieri poſſit reperio, niſi ut longius alvei transferantur. Morborum autem facilius in his & cauſae inſpiciuntur & inveniuntur medicinae. Maximus autem annuus earum labor eſt initio veris, quo tithymalli floret frutex, & quo ſameram ulmi promunt. Namque ſicut novis pomis, ita his primitivis floribus illectae avide veſcuntur poſt hybernam famem, nil alioquin citra ſatietatem, tali nocente cibo: quo cum ſe affatim repleverint, profluvio alvi, niſi celeriter ſuccurritur, intereunt. Nam & tithymallus majorum quoque animalium ventrem ſolvit, & proprie ulmus apium. Eaque cauſa eſt, cur in regionibus Italiae, quae ſunt ejus generis arboribus conſitae, raro frequentes durent apes. Itaque veris principio ſi medicatos cibos praebeas, iiſdem remediis & provideri poteſt, ne tali peſte vexentur, & cum jam laborant, ſanari. Nam illud, quod Hyginus majores ſecutus autores prodidit, ipſe non expertus aſſeverare non audeo: volentibus tamen licebit experiri. Siquidem

praecipit apum corpora, quae cum ejusmodi pestis incessit, sub favis acervatim enectae reperiuntur, sicco loco per hiemem reposita circa aequinoctium vernum, cum clementia diei suaserit, post horam tertiam in solem proferre, siculneoque cinere obruere. Quo facto, affirmat intra duas horas cum vivido halitu caloris animatae sunt, resumto spiritu in praeparatum vas, si objiciatur, irrepere. Nos magis ne intereant, quae deinceps dicturi sumus, aegris examinibus exhibenda censemus. Nam vel grana mali Punici tunsa & vino Amineo consperſa, vel uvae passae cum rore Syriaco pari mensura pinsitae, & austero vino insuccatae, dari debent: vel si per se ista frustrata sunt, omnia eadem aequis ponderibus in unum levigata, & fictili vase cum Amineo vino infervefacta, mox etiam refrigerata, ligneis canalibus apponi. Nonnulli rorem marinum, aqua mulsa decoctum, cum gelaverit, imbricibus infusum praebent libandum. Quidam bubulam, vel hominis urinam (sicut Hyginus affirmat) alveis apponunt. Nec non etiam ille morbus maxime est conspicuus, qui horridas contractasque carpit, cum frequenter aliae mortua-

rum corpora domiciliis suis efferunt, aliae intra tecta, ut in publico luctu, moesto silentio torpent. Id cum accidit, arundineis infusi canalibus offeruntur cibi, maxime decocti mellis, & cum galla vel arida rosa detriti. Galbanum etiam, ut ejus odore medicentur, incendi convenit, passoque & defruto vetere fessas sustinere. Optime tamen facit amelli radix, cujus est frutex luteus, purpureus flos: ea cum vetere Amineo vino decocta exprimitur, & ita liquatus ejus succus datur. Hyginus quidem in eo libro, quem de apibus scripsit, Aristomachus, inquit, hoc modo succurrendum laborantibus existimat: primum, ut omnes vitiosi favi tollantur, & cibus ex integro recens ponatur; deinde, ut fumigentur. Prodesse etiam putat apibus vetustate corruptis examen novum contribuere, quamvis periculum sit, ne seditione consumatur, verumtamen adjecta multitudine laetaturas. sed ut concordes maneant, earum apium, quae ex alio domicilio transferuntur, quasi peregrinae plebis, submoveri reges debere. Nec tamen dubium, quin frequentissimorum examinum favi, qui jam maturos habent pullos, transferri & subjici pauciori-

bus debeant, ut tanquam novae prolis adoptione domicilia confirmentur. Sed & id cum fiet, animadvertendum, ut eos favos subjiciamus, quorum pulli jam sedes suas adaperiunt, & velut opercula foraminum obductas ceras erodunt exerentes capita. Nam si favos immaturo foetu transtulerimus, emorientur pulli, cum foveri desierint. Saepe etiam vitio, quod Graeci φαγέδαιναν vocant, intereunt. Siquidem cum sit haec apium consuetudo, ut prius tantum cerarum confingant, quantum putant explere se posse: non nunquam evenit, ut consummatis operibus cereis, [ut] examen conquirendi mellis causa longius evagatum subitis imbribus, aut turbinibus in silvis opprimatur, & majorem partem plebis amittat: quod ubi factum est, reliqua paucitas favis complendis non sufficiat; tuncque vacuae cerarum partes computrescant, & vitiis paullatim serpentibus, corrupto melle, ipsae quoque apes intereant. Id ne fiat, duo populi conjungi debent, qui possint adhuc integras ceras explere: vel si non est facultas alterius examinis, ipsos favos, ante quam putrescant, vacuis partibus acutissimo ferro liberare. Nam hoc quoque refert, ne admo-

dum hebes ferramentum (quia non facile penetret) vehementius impressum favos sedibus suis commoveat: quod si factum est, apes domicilium derelinquunt. Est & illa causa interitus, quod interdum continuis annis plurimi flores proveniunt, & apes magis mellificiis quam foetibus studeant. Itaque nonnulli, quibus est minor harum rerum scientia, magnis fructibus delectantur, ignorantes exitium apibus imminere, quoniam & nimio fatigatae opere plurimae pereunt, nec ullis juventutis supplementis frequentatae novissime reliquae intereunt. Itaque si tale ver incessit, ut & prata & arva floribus abundent, utilissimum est, tertio quoque die alveorum exitus praecludi, exiguis foraminibus relictis, per quae non possint apes exire, ut ab opere mellifico evocatae, quoniam se non sperent posse ceras omnes liquoribus stipare, foetibus expleant. Atque haec fere sunt examinum vitio laborantium remedia.

Quid quoque tempore faciant apes, & quid earum curator facere debeat.

Cap. XIV. Deinceps illa totius anni cura, ut idem Hyginus commodissime prodidit. Ab aequinoctio primo, quod mense Martio

circa VIII Calendas Aprilis in octava parte Arietis conficitur, ad exortum Vergiliarum dies verni temporis habentur duodequinquaginta. Per hos primum ait apes curandas esse adapertis alveis, ut omnia purgamenta, quae sunt hiberno tempore congesta, eximantur & ut araneis, qui favos corrumpunt, detractis, fumus immittatur factus incenso bubulo fimo. Hic enim quasi quadam cognatione generis maxime est apibus aptus. Vermiculi quoque, qui tineae vocantur, & item papiliones enecandi sunt: quae pestes plerumque favis adhaerentes decidunt, si fimo medullam bubulam misceas, & his incensis nidorem admoveas. Hac cura per id tempus, quod diximus, examina firmabuntur, eaque fortius operibus inservient. Verum maxime custodiendum est curatori, qui apes nutrit, cum alvos tractare debebit, uti pridie castus sit ab rebus venereis, neve temulentus, nec nisi lotus ad eas accedat, abstineatque fere ab omnibus redolentibus esculentis, ut sunt salsamenta & eorum omnia eliquamina; itemque foetentibus acrimoniis allii vel ceparum, caeterarumque rerum similium. Duodequinquagesimo die ab aequinoctio verno, cum sit

Vergiliarum exortus, circa v Idus Majas, incipiunt examina viribus & numero augeri. Sed & iisdem diebus intereunt, quae paucas & aegras apes habent. eodemque tempore progenerantur in extremis partibus favorum amplioris magnitudinis foetus, quam sint caeterarum apum, eosque nonnulli putant esse reges. Verum quidam Graecorum auctores οἴστρους appellant, ab eo, quod exagitent, neque patiantur examina conquiescere. Itaque praecipiunt eos necari. Ab exortu Vergiliarum ad solstitium, quod fit ultimo mense Junio, circa octavam partem Cancri, fere examinant alvi: quo tempore vehementius custodiri debent, ne novae soboles diffugiant. Tuncque peracto solstitio, usque ad ortum Caniculae, qui fere dies triginta sunt, pariter frumenta & favi demetuntur. Sed ii quemadmodum tolli debeant, mox deinde. cum de confectura mellis praecipiemus. Caeterum hoc eodem tempore progenerari posse apes juvenco peremto, Democritus & Mago, nec minus Virgilius prodiderunt. Mago quidem ventribus etiam bubulis idem fieri affirmat. Quam rationem diligentius prosequi supervacuum puto, consentiens Celso, qui

prudentissime ait, non tanto interitu pecus istud amitti, ut sic requirendum sit. Verum hoc tempore, & usque in autumni aequinoctium decimo quoque die alvi aperiendae sunt & fumigandae. quod cum sit molestum examinibus, saluberrimum tamen esse convenit. Suffitas deinde & aestuantes apes refrigerare oportet, consperſis vacuis partibus alvorum, & quam recentissimi rigoris aqua infusa: deinde, si quid ablui non poterit, pinnis aquilae, vel etiam cujus libet vastae alitis, quae rigorem habent, emundari. Praeterea ut tineae, si apparuerint, everrantur, papiliones enecentur, qui plerumque inter alvos morantes apibus exitio sunt. Nam & ceras erodunt, & stercore suo vermes progenerant, quos alvorum tineas appellamus. Itaque quo tempore malvae florent, cum est eadem maxima multitudo, si vas aeneum simile miliario vespere ponatur intra alvos, & in fundum ejus lumen aliquod demittatur, undique papiliones concurrunt: dumque circa flammulam volitant, aduruntur, quod nec facile ex angusto sursum evolare, nec rursus longius ab igne possunt recedere, cum lateribus aeneis circumveniantur: ideoque propinquo ardore

consumuntur. A Canicula fere post diem quinquagesimum Arcturus oritur, cum irroratis floribus thymi & cunilae, thymbraeque, apes mella conficiunt: idque optimae notae enitescit autumni aequinoctio, quod est ante Calend. Octobris, cum octavam partem Librae sol attigit. Sed inter Caniculae & Arcturi exortum cavendum erit, ne apes intercipiantur violentia crabronum, qui ante alvearia plerumque obsidiantur prodeuntibus. Post Arcturi exortum circa aequinoctium Librae (sicut dixi) favorum secunda est exemtio. Ab aequinoctio deinde, quod conficitur circa VIII Calend. Octobris, ad Vergiliarum occasum diebus XL, ex floribus tamaricis, & silvestribus frutetis apes collecta mella cibariis hiemis reponunt. Quibus nihil est omnino detrahendum, ne saepius injuria contristatae, velut desperatione rerum profugiant. Ab occasu Vergiliarum ad brumam, quae fere conficitur circa VIII Calend. Januarii, in octava parte Capricorni, jam recondito melle utuntur examina, eoque usque ad Arcturi exortum sustinentur. Nec me fallit Hipparchi ratio, quae docet solstitia & aequinoctia non octavis, sed primis partibus signorum

confici. Verum in hac ruris disciplina sequor nunc Eudoxi & Metonis, antiquorumque fastus astrologorum, qui sunt aptati publicis sacrificiis. quia & notior est ista vetus agricolis concepta opinio; nec tamen Hipparchi subtilitas pinguioribus, ut ajunt, rusticorum literis necessaria est. Ergo Vergiliarum occasu primo statim conveniet aperire alvos, & depurgare quidquid immundi est; diligentiusque curare, quoniam per tempora hiemis non expedit movere aut patefacere vasa. Quam ob causam dum adhuc autumni reliquiae sunt, apriciſſimo die purgatis domiciliis opercula intus usque ad favos admovenda sunt, omni vacua parte sedis exclusa, quo facilius angustiae cavearum per hiemem concalescant. idque semper faciendum est etiam in iis alvis, quae paucitate plebis infrequentes sunt. Quidquid deinde rimarum est, aut foraminum, luto & fimo bubulo mistis illinemus extrinsecus, nec nisi aditus, quibus commeent, relinquemus. Et quamvis porticu protecta vasa, nihilo minus congestu culmorum & frondium supertegemus, quantumque res patietur, a frigore & tempestatibus muniemus. Quidam exemptis interaneis occisas

aves intus includunt, quae tempore hiberno plumis ſuis deliteſcentibus apibus praebent teporem: tum etiam, ſi ſunt abſumta cibaria, commode paſcuntur eſurientes, nec niſi oſſa earum relinquunt. Sin autem favi ſufficient, permanent illibatae. nec quamvis amantiſſimas munditiarum offendunt odore ſuo. Melius tamen eſſe nos exiſtimamus, tempore hiberno fame laborantibus ad ipſos aditus in canaliculis vel contuſam & aqua madefactam ficum aridam, vel defrutum aut paſſum, praebere. quibus liquoribus mundam lanam imbuere oportebit, ut inſiſtentes apes quaſi per ſiphonem ſuccum evocent. Uvas etiam paſſas, cum infregerimus, paullum aqua reſperſas probe dabimus. Atque his cibariis non ſolum hieme, ſed etiam, quibus temporibus (ut jam ſupra dixi) tithymallus, atque etiam ulmi florebunt, ſuſtinendae ſunt. Poſt confectam brumam diebus fere quadraginta quidquid eſt repoſiti mellis (niſi liberalius a curatore relictum ſit,) conſumunt, & ſaepe etiam vacuatis ceris uſque in ortum Arcturi, qui eſt ab Idib. Februariis, jejunae favis accubantes torpent more ſerpentum, & quiete ſua ſpiritum conſervant, quem tamen ne

amittant, si longior fames incesserit, optimum est per aditum vestibuli siphonibus dulcia liquamina immittere, & ita penuriam temporum sustinere, dum Arcturi ortus & hirundinis adventus commodiores polliceantur futuras tempestates. Itaque, post hoc tempus, cum diei permittit hilaritas, procedere audent in pascua. Nam ab aequinoctio verno sine cunctatione jam passim vagantur, & idoneos ad foetum decerpunt flores, atque intra tecta comportant. Haec observanda per anni tempora diligentissime Hyginus praecipit. Caeterum illa Celsus adjicit, paucis locis eam felicitatem suppetere, ut apibus alia pabula hiberna, atque alia praebeantur aestiva. Itaque quibus locis post veris tempora flores idonei deficiunt, negat oportere immota examina relinqui, sed vernis pastionibus absumtis, in ea loca transferri, quae serotinis floribus thymi & origani, thymbraeque benignius apes alere possunt. Quod fieri ait & Achaiae regionibus, ubi transferuntur in Atticas pastiones, & Euboea, & rursus insulis Cycladibus, cum ex aliis transferuntur Scyrum, nec minus in Sicilia, cum ex reliquis ejus partibus in Hyblam conferuntur. Idem-

que ait ex floribus ceras fieri, ex matutino rore mella, quae tanto meliorem qualitatem capiunt, quanto jucundiore sit materia cera confecta. Sed ante translationem diligenter alveos inspicere praecipit, veteresque, & tineosos, & labantes favos eximere: nec nisi paucos & optimos reservare, ut simul etiam ex meliore flore quamplurimi fiant: eaque vasa, quae quis transferre velit, non nisi noctibus & sine concussione portare.

De melle conficiendo, & quando castra debeant alui.

Cap. XV. Mox vere transacto sequitur, ut dixi, mellis vindemia, propter quam totius anni labor exercetur. Ejus maturitas intelligitur, cum animadvertimus fucos ab apibus expelli ac fugari. quod est genus amplioris incrementi, simillimum apis, &, ut ait Virgilius, "ignavum [fucos] pecus", & sine industria favis assidens. Nam neque alimenta congerit, & ab aliis invecta consumit. Verumtamen ad procreationem sobolis conferre aliquid hi fuci videntur insidentes seminibus, quibus apes figurantur. Itaque ad fovendam & educandam novam prolem familiarius admittuntur. Exclusis deinde pullis, extra te-

cta proturbantur, &, ut idem ait, "a praesepibus arcentur". Hos quidam praecipiunt in totum exterminari oportere. Quod ego Magoni consentiens faciendum non censeo, verum saevitiae modum adhibendum. Nam nec ad occidionem gens interimenda est, ne apes inertia laborent, quae, cum fuci aliquam partem cibariorum absumunt, sarciendo damna fiunt agiliores: nec rursus multitudinem praedonum coalescere patiendum est, ne universas opes alienas diripiant. Ergo cum rixam fucorum & apium saepius committi videris, adapertas alvos inspicies, ut sive semipleni favi sint, differantur: sive jam liquore completi, & superpositis ceris tamquam operculis obliti, demetantur. Dies vero castrandi fere matutinus occupandus est. Neque enim convenit aestu medio exasperatas apes lacessiri. Duobus ferramentis ad hunc usum opus est, sesquipedali, vel paullo ampliore mensura factis, quorum alterum sit culter oblongus ex utraque parte acie lata, uno capite aduncum habens scalprum; alterum prima fronte planum & acutissimum: quo melius hoc favi succidantur, illo eradantur, & quidquid sordidum deciderit, attrahatur. Sed ubi a posteriore

riore parte nullum veſtibulum patefactum habuerit alveare, fumum admovebimus factum galbano vel arido ſimo. Ea porro vaſe fictili prunis immiſta conduntur: idque vas anſatum ſimile anguſtae ollae figuratur, ita ut altera pars ſit acutior, per quam modico foramine fumus emanet: altera latior & ore patulo, per quam poſſit afflari. Talis olla, cum & alveari objecta, ſpiritu admoto fumus ad apes promovetur: quae confeſtim nidoris impatientes in priorem partem domicilii, & interdum extra veſtibulum ſe conferunt. Atque ubi poteſtas facta eſt liberius inſpiciendi, fere, ſi duo ſunt examina, duo genera quoque favorum inveniuntur. Nam etiam in concordia ſuum quaeque plebs morem figurandi ceras, fingendique obſervat. Sed omnes favi ſemper cavearum tectis, & paullulum lateribus adhaerentes, dependent ita, ne ſolum contingant; quoniam id praebet examinibus iter. Caeterum figura cerarum talis eſt, qualis & habitus domicilii. Nam & quadrata & rotunda ſpatia, nec minus longa ſuam ſpeciem velut formae quaedam favis praebent. Ideoque non ſemper ejuſdem figurae reperiuntur favi. Sed hi qualeſcunque ſint, non omnes eximantur. Nam priore meſſe, dum

adhuc rura pastionibus abundant, quinta pars favorum; posteriore, cum jam metuitur hiems, tertia relinquenda est. Atque hic tamen modus non est in omnibus regionibus certus: quoniam pro multitudine florum & ubertate pabuli apibus consulendum est. At si cerae dependentes in longitudinem decurrunt, eo ferramento, quod est simile cultro, insecandi sunt favi, deinde subjectis duobus brachiis excipiendi, atque ita promendi: sin autem transversi tectis cavearum inhaerent, tunc scalprato ferramento est opus, ut adversa fronte impressi desecentur. Eximi autem debent veteres vel vitiosi, & relinqui maxime integri, ac melle pleni, & si qui tandem pullos continent, ut examini progenerando reserventur. Omnis deinde copia favorum conferenda est in eum locum, in quo mel conficere voles, linendaque sunt diligenter foramina parietum & fenestrarum, ne quid sit apibus pervium, quae velut amissas opes suas pertinaciter vestigant, & persecutae consumunt. Itaque ex iisdem rebus fumus etiam in aditu loci faciendus est, qui propulset intrare tentantes. Castratae deinde alvi, si quae transversos favos in aditu habebunt, convertendae erunt, ut alterna vice posteriores partes ve-

stibula fiant. Sic enim proxime cum castrabuntur, veteres potius favi quam novi eximentur, ceraeque novabuntur, quae tanto deteriores sunt, quanto vetustiores. Quod si forte alvearia circumstructa & immobilia fuerint, curae erit nobis, ut modo a posteriore, modo a priore parte castrentur: idque fieri ante diei quintam horam debebit, deinde repeti vel post nonam, vel postero mane. Sed quotcunque favi sunt demessi, eodem die, dum tepent, mella conficere convenit. Saligneus qualus, vel tenui vimine rarius contextus saccus, inversae metae similis, qualis est, quo vinum liquatur, obscuro loco suspenditur: in eum deinde carptim congeruntur favi. Sed adhibenda cura est, ut separentur eae partes cerarum, quae vel pullos habent, vel rubras sordes. Nam sunt mali saporis, & succo suo mella corrumpunt. Deinde ubi liquatum mel in subjectum alveum defluxit, transfertur in vasa fictilia, quae paucis diebus aperta sint, dum musteus fructus defervescat, isque saepius ligula purgandus est. Mox deinde fragmina favorum, quae in sacco remanserunt, retractata exprimuntur: atque id secundae notae mel defluit, & ab diligen-

tioribus seorsum reponitur, ne quod est optimi saporis, hoc adhibito, fiat deterius.

De cera facienda.

CAP. XVI. Cerae fructus, quamvis aeris exigui, non tamen omittendus est, cum sit ejus usus ad multa necessarius. Expressae favorum reliquiae, posteaquam diligenter aqua dulci perlutae sunt, in vas aeneum conjiciuntur: adjecta deinde aqua liquantur ignibus. Quod ubi factum est, cera per stramenta vel juncos defusa colatur, atque iterum similiter de integro coquitur, & in quas quisque voluit formas, aqua prius adjecta, defunditur: eamque concretam facile est eximere, quoniam qui subest humor, non patitur formis inhaerere. Sed jam consummata disputatione de villaticis pecudibus atque pastionibus, quae reliqua nobis rusticarum rerum pars supereſt, de cultu hortorum, Publi Silvine, deinceps ita, ut & tibi & Gallioni nostro complacuerat, in carmen conferemus.

L. J. M. COLVMELLAE
DE
CVLTV HORTORVM
LIBER DECIMVS

PRAEFATIO

FOENORIS tui, Silvine, quod ſtipulanti ſpoponderam tibi, reliquam penſiunculam percipe. Nam ſuperioribus novem libris hac minus parte debitum, quod nunc perſolvo, reddideram. Supereſt ergo cultus hortorum inſigniter neglectus quondam veteribus agricolis, nunc vel celeberrimus. Siquidem cum parcior apud priſcos eſſet frugalitas, largior tamen pauperibus fuit uſus epularum; lactis copia, ferinaque ac domeſticarum pecudum carne, velut aqua frumentoque ſummis atque humillimis victum tolerantibus. Mox cum ſequens, & praecipue noſtra aetas dapibus libidinoſis pretia conſtituerit, coenaeque non naturalibus deſideriis, ſed cenſibus aeſtimentur, plebeia paupertas ſubmota a pretioſioribus cibis ad vulgares compellitur. Quare cultus hortorum, quoniam & fructus magis in uſu eſt, diligentius nobis, quam tradide-

runt majores, praecipiendus est: isque, sicut instituerat, prosa oratione prioribus subnecteretur exordiis, nisi propositum meum expugnasset frequens postulatio tua, quae pervicit, ut poeticis numeris explerem Georgici carminis omissas partes, quas tamen & ipse Virgilius significaverat, posteris post se memorandas relinquere. Neque enim aliter istud nobis fuerat audendum, quam ex voluntate vatis maxime venerandi: cujus quasi numine instigante (pigre sine dubio propter difficultatem operis, veruntamen non sine spe prosperi successus) aggressi sumus tenuem admodum & pene viduatam corpore materiam, quae tam exilis est, ut in consummatione quidem totius operis annumerari velut particula possit laboris nostri, per se vero & quasi suis finibus terminata, nullo modo speciose confici. Nam etsi multa sunt ejus quasi membra, de quibus aliquid possumus effari, tamen eadem tam exigua sunt, ut (quod ajunt Graeci) ex incomprehensibili parvitate arenae funis effici non possit. Quare quidquid est istud, quod elucubravimus, adeo propriam sibi laudem non vindicat, ut boni consulat, si non sit dedecori prius editis a me scriptorum monimentis. Sed jam praefari desinamus.

Carmen de cultu hortorum.

HORTORVM quoque te cultus, Silvine, docebo,
Atque ea, quae quondam ſpatiis excluſus iniquis,
Cum caneret laetas ſegetes, & munera Bacchi,
Et te, magna Pales, nec non caeleſtia mella,
Virgilius nobis poſt ſe memoranda reliquit.
Principio ſedem numeroſo praebeat horto
Pinguis ager, putres glebas, reſolutaque terga,
Qui gerit, & foſſus gracileis imitatur arenas.
Atque habilis natura ſoli, quae gramine laeto
Parturit, & rutilas ebuli creat uvida baccas.
Nam neque ſicca placet, nec quae ſtagnata palude
Perpetitur querulae ſemper convicia ranae.
Tum quae ſponte ſua frondoſas educat ulmos,
Palmitibuſque feris laetatur, & aſpera ſilvis
Achrados, aut pruni lapidoſis obruta pomis
Gaudet, & injuſſi conſternitur ubere mali:
Sed negat helleboros, & noxia galbana ſucco,
Nec patitur taxos, nec ſtrenua toxica ſudat,
Quamvis ſemihominis veſano gramine foeta
Mandragorae pariat flores, moeſtamque cicutam,
Nec manibus mitis ferulas, nec cruribus aequa
Terga rubi, ſpiniſque ferat paliuron acutis.

Vicini quoque sint amnes, quos incola durus
Attrahat auxilio semper sitientibus hortis:
Aut fons illacrimet putei non sede profunda,
Ne gravis hausturis tendentibus ilia vellat.
Talis humus vel parietibus, vel sepibus hirtis
Claudatur, neu sit pecori, neu pervia furi.
Neu tibi Daedaleae quaerantur munera dextrae,
Nec Polycletea, nec Phradmonis, aut Ageladae
Arte laboretur: sed truncum forte dolatum
Arboris antiquae numen venerare Ithyphalli
Terribilis membri, medio qui semper in horto
Inguinibus puero, praedoni falce minetur.
Ergo age nunc cultus, & tempora quaeque serendis
Seminibus, quae cura satis, quo sidere primum
Nascantur flores, Paestique rosaria gemment,
Quo Bacchi genus, aut aliena stirpe gravata
Mitis adoptatis curvetur frugibus arbos,
Pierides tenui deducite carmine Musae.
Oceani sitiens cum jam canis hauserit undas,
Et paribus Titan orbem libraverit horis,
Cum satur autumnus quassans sua tempora pomis,
Sordidus & musto spumantes exprimet uvas;
Tum mihi ferrato versetur robore palae
Dulcis humus, si jam pluviis defossa madebit.

At si cruda manet caelo durata sereno,
Tum jussi veniant declivi tramite rivi,
Terra bibat fontes, & hiantia compleat ora.
Quod si nec caeli, nec campi competit humor,
Ingeniumque loci, vel Juppiter abnegat imbrem,
Expectetur hiems, dum Bacchi Gnosius ardor
Aequore caeruleo celetur, vertice mundi,
Solis & adversos metuant Atlantides ortus.
Atque ubi jam tuto necdum confisus Olympo,
Sed trepidus profugit chelas, & spicula Phoebus
Dira Nepae, tergoque Croti festinat equino,
Nescia plebs generis, matri ne parcite falsae.
Ista Prometheae genitrix fuit altera cretae:
Altera nos enixa parens, quo tempore saevus
Tellurem Ponto mersit Neptunus, & imum
Concutiens barathrum lethaeas terruit undas.
Tumque semel Stygium regem videre trementem
Tartara, cum pelagi streperent sub pondere manes.
Nos foecunda manus viduo mortalibus orbe
Progenerat, nos abruptae tum montibus altis
Deucalioneae cautes peperere, sed ecce
Durior, aeternusque vocat labor: eia age segnes

Pellite nunc somnos, & curvi vomere dentis
Jam virides lacerate comas, jam scindite amictus.
Tu gravibus rastris cunctantia perfode terga,
Tu penitus latis eradere viscera marris
Ne dubita, summoque frequentia cespite mista
Ponere, quae canis jaceant urenda pruinis,
Verberibus gelidis, iraeque obnoxia Cauri,
Alliget & saevus Boreas, Eurusque resolvat.
Post ubi Riphaeae torpentia frigora brumae
Candidus aprica Zephyrus regelaverit aura,
Sidereoque polo cedet Lyra mersa profundo,
Veris & adventum nidis cantarit hirundo,
Rudere tum pingui, solido vel stercore aselli,
Armentive fimo satures jejunia terrae,
Ipse ferens olitor diductos pondere qualos:
Pabula nec pigeat fesso praebere novali,
Immundis quaecunque vomit latrina cloacis.
Densaque jam pluviis, durataque summa pruinis
Aequora dulcis humi, repetat mucrone bidentis.
Mox bene cum glebis vivacem cespitis herbam
Contundat marrae, vel fracti dente ligonis,
Putria maturi solvantur, ut ubera campi.
Tunc quoque trita solo splendentia sarcula sumat,

Anguſtoſque foros adverſo limite ducens,
Rurſus in obliquum diſtinguat tramite parvo.
Verum ubi jam puro diſcrimine pectita tellus,
Depoſito ſquallore nitens ſua ſemina poſcit,
Pangite tunc varios terreſtria ſidera flores,
Candida leucoia & flaventia lumina calthae,
Narciſſique comas, & hiantis ſaeva leonis
Ora feri, calathiſque virentia lilia canis,
Nec non vel niveos, vel caeruleos hyacinthos.
Tum quae pallet humi, quae frondens purpurat auro,
Ponatur viola, & nimium roſa plena pudoris.
Nunc medica panacem lacryma, ſuccoque ſalubri
Glaucea, & profugos vinctura papavera ſomnos
Spargite: quaeque viros acuunt, armantque puellas,
Jam Megaris veniant genitalia ſemina bulbi;
Et quae Sicca legit Getulis obruta glebis:
Et quae frugifero ſeritur vicina Priapo,
Excitet ut Veneri tardos eruca maritos.
Jam breve chaerophylum, & torpenti grata palato
Intyba, jam teneris frondens lactucula fibris,
Alliaque infractis ſpicis, & olentia late
Ulpica, quaeque fabis habilis fabrilia miſcet.
Jam Siſer, Aſſyrioque venit, quae ſemine radix,

Sectaque praebetur madido sociata lupino,
Ut Pelusiaci proritet pocula Zythi.
Tempore non alio vili quoque salgama merce
Capparis, & tristes inulae, ferulaeque minaces,
Plantantur: necnon serpentia gramina mentae,
Et bene odorati flores sparguntur anethi,
Rutaque Palladiae baccae victura saporem,
Seque lacessenti fletum factura sinapis,
Atque oleris pulli radix, lacrymosaque cepa
Ponitur, & lactis gustum, quae condiat herba,
Deletura quidem fronti data signa fugarum,
Vimque suam idcirco profitetur nomine Graio.
Tum quoque conseritur, toto quae plurima terrae
Orbe virens pariter plebi, regique superbo,
Frigoribus caules, & veri cymata mittit:
Quae pariunt veteres cesposo littore Cumae,
Quae Marrucini, quae Signia monte Lepino,
Pinguis item Capua, & Caudinis faucibus horti,
Fontibus & Stabiae celebres, & Vesvia rura,
Doctaque Parthenope Sebetide roscida lympha,
Quae dulcis Pompeia palus vicina Salinis
Herculeis, vitreoque Siler, qui defluit amni,
Quae duri praebent cymosa stirpe Sabelli,
Et Turni lacus, & pomosi Tyburis arva,
Brutia quae tellus, & mater Aricia porri.

Haec ubi credidimus reſolutae ſemina terrae,
Aſſiduo gravidam cultu curaque fovemus,
Ut redeant nobis cumulato foenore meſſes.
Et primum monea largos inducere fontes,
Ne ſitis exurat concepto ſemine partum.
At cum foeta ſuos nexus adoperta reſolvit,
Florida cum ſoboles materno pullulat alvo,
Primitiis plantae modicos tum praebeat imbres
Sedulus irrorans olitor, ferroque bicorni
Pectat, & angentem ſulcis exterminet herbam.
At ſi dumoſis poſiti ſunt collibus horti,
Nec ſummo nemoris labuntur vertice rivi,
Aggere praepoſito cumulatis area glebis
Emineat, ſicco ut conſueſcat pulvere planta,
Nec mutata loco ſiccos exhorreat aeſtus.
Mox ubi nubigenae Phryxi, nec portitor Helles,
Signorum & pecorum princeps caput efferet undis,
Alma ſinum tellus jam pandet, adultaque poſcens
Semina depoſitis cupiet ſe nubere plantis:
Invigilate viri. Tacito nam tempora greſſu
Diffugiunt, nulloque ſono convertitur annus.
Flagitat ecce ſuos genitrix mitiſſima foetus,
Et quos enixa eſt partus jam quaerit alendos,
Privignaſque rogat proles. Date nunc ſua matri

Pignora, tempus adeſt: viridi redimite parentem
Progenie, tu cinge comam, tu digere crines.
Nunc apio viridi criſpetur florida tellus,
Nunc capitis porri longo reſoluta capillo
Laetetur, mollemque ſinum ſtaphylinus inumbret.
Nunc & odoratae peregrino munere plantae
Sicaniis croceae deſcendant montibus Hyblae,
Nataque jam veniant hilari ſampſuca Canopo,
Et lacrymas imitata tuas, Cinyreia virgo,
Sed melior ſtactis ponatur Achaica myrrha:
Et male damnati moeſto, qui ſanguine ſurgunt
Aeacii flores, immortaleſque amaranti,
Et quos mille parit dives natura colores,
Diſponat plantis olitor, quos ſemine ſevit.
Nunc veniat quamvis oculis inimica coramble,
Jamque ſalutari properet lactuca ſopore,
Triſtia quae relevat longi faſtidia morbi.
Altera crebra viret, fuſco nitet altera crine,
Utraque Caecilii de nomine dicta Metelli.
Tertia, quae ſpiſſo, ſed puro vertice pallet,
Haec ſua Cappadocae ſervat cognomina gentis.
Et mea, quam generant Tarteſi littore Gades,
Candida vibrato diſcrimine, candida thyrſo eſt.
Cypros item Paphio, quam pingui nutrit in arvo

Punicea depexa coma, sed lactea crure est.
Quot facies, totidem sunt tempora quamque ferendi.
Caeciliam primo deponit Aquarius anno,
Cappadocamque premit ferali mense lupercus.
Tuque tuis Mavors Tartesida pange Calendis,
Tuque suis Paphien iterum jam pange Calendis,
Dum cupit, & cupidae quaerit se jungere matri,
Et mater facili mollissima subjacet arvo.
Ingenera nunc sunt genitalia tempora mundi:
Nunc amor ad coitus properat, nunc spiritus orbis
Bacchatur Veneri, stimulisque cupidinis actus
Ipse suas adamat partes, & foetibus implet.
Nunc pater aequoreus, nunc & regnator aquarum,
Ille suam Tethyn, hic pellicit Amphitriten:
Et jam caeruleos partus enixa marito.
Utraque nunc referat, pontumque natantibus implet.
Maximus ipse Deum posito jam fulmine fallax
Acrisioneos veteres imitatur amores,
Inque sinus matris violento depluit imbre.
Nec genitrix nati nunc aspernatur amorem,
Sed patitur nexus flammata cupidine tellus.

Hinc maria, hinc montes, hinc totus denique mundus
Ver agit: hinc hominum, pecudum, volucrumque cupido,
Atque amor igneſcit menti, ſaevitque medullis,
Dum ſatiata Venus foecundos compleat artus,
Et generet varias ſoboles, ſemperque frequentet
Prole nova mundum, vacuo ne torpeat aevo.
Sed quid ego infreno volitare per aethera curſu
Paſſus equos audax ſublimi tramite raptos?
Iſta canat majore deo, quem Delphica laurus
Impulit, & rerum cauſas, & ſacra moventem
Orgia naturae, ſecretaque foedera caeli.
Extimulet vatem per Dindyma caſtra Cybelles,
Perque Cithaeronem, Nyſaeaque per juga Bacchi,
Per ſua Parnaſſi, per amica ſilentia Muſis
Pierii nemoris, Bacchea voce frementem
Delie te Paean, & te evie evie Paean.
Me mea Calliope cura leviore vagantem
Jam revocat, parvoque jubet decurrere gyro,
Et ſecum gracili connectere carmina filo,
Quae canat inter opus muſa modulante putator

Pendu-

Pendulus arbuſtis, olitor viridantibus hortis.
Quare age quod ſequitur, parvo diſcrimine ſulci
Spargantur caecis naſturcia dira colubris,
Indomito male ſana cibo quas educat alvus,
Et ſatureia thymi referens thymbraeque ſaporem,
Et tenero cucumis, fragilique cucurbita collo.
Hiſpida ponatur cinara, quae dulcis Iaccho
Potanti veniat, nec Phoebo grata canenti.
Haec modo purpureo ſurgit glomerata corymbo,
Myrtiolo modo crine viret, deflexaque collo
Nunc adoperta manet, nunc pinea vertice pungit,
Nunc ſimilis calatho, ſpiniſque minantibus horret,
Pallida nonnunquam tortos imitatur acanthos.
Mox ubi ſanguineis ſe floribus induit arbos
Punica, quae rutilo miteſcit tegmine grani,
Tempus haris ſatio, famoſaque tunc coriandra
Naſcuntur, gracilique melanthia grata cumino
Et bacca aſparagi ſpinoſa profilit herba,
Et malache, prono ſequitur, quae vertice ſolem:
Quaeque tuas audax imitatur Nyſie viteis,

Nec metuit fenteis: nam vepribus improba surgens
Achrados, indomitaſque bryonias alligat alnos,
Nomine tum Graio, ceu littera proxima primae,
Pangitur in cera docti mucrone magiſtri:
Sic & humo pingui ferratae cuſpidis ictu
Deprimitur folio viridis, pede candida, beta.
Quin & odoratis meſſis jam floribus inſtat,
Jam ver purpureum, jam verſicoloribus anni
Foetibus alma parens cingi ſua tempora gaudet.
Jam Phrygiae loti gemmantia lumina promunt,
Et conniventes oculos violaria ſolvunt,
Oſcitat & leo, & ingenuo confuſa rubore
Virgineas adoperta genas roſa praebet honores
Caelitibus, templiſque Sabaeum miſcet odorem.
Nunc vos Pegaſidum comites Acheloidas oro,
Maenalidumque choros Dryadum, nymphaſque Napaeas,
Quae colitis nemus Amphryſi, quae Theſſala Tempe,
Quae juga Cyllenes, & opaci rura Lycaei,
Antraque Caſtaliis ſemper rorantia guttis,
Et quae Sicanii flores legiſtis Haleſi,

Cum Cereris proles veſtris intenta choreis
Aequoris Ennaei vernantia lilia carpſit,
Raptaque Lethaei conjux mox facta tyranni,
Sideribus triſtes umbras, & tartara caelo
Praepoſuit, Ditemque Jovi, lethumque ſaluti,
Et nunc inferno potitur Proſerpina regno:
Vos quoque jam poſito luctu, moeſtoque timore
Huc facili greſſu teneras advertite plantas,
Telluriſque comas ſacris aptate caniſtris.
Hic nullae inſidiae nymphis, non ulla rapina,
Caſta Fides nobis colitur, ſanctique Penates.
Omnia plena jocis, ſecuro plena cachinno,
Plena mero, laetiſque virent convivia pratis.
Nunc ver egelidum, nunc eſt molliſſimus annus,
Dum Phoebus tener, ac tenera decumbere in herba
Suadet, & arguto fugientes gramine fontes
Nec rigidos potare juvat, nec ſole tepentes.
Jamque Dionaeis ridimitur floribus hortus,
Jam roſa miteſcit Sarrano clarior oſtro.
Nec tam nubifugo Borea Latonia Phoebe
Purpureo radiat vultu, nec Sirius ardor
Sic micat, aut rutilus Pyrois, aut ore coruſco
Heſperus, Eoo remeat cum Lucifer ortu;
Nec tam ſidereo fulget Thaumantias arcu:

Quam nitidis hilares collucent foetibus horti.
Quare age vel jubare exorto jam nocte suprema,
Vel cum Phoebus equos in gurgite mersat Hibero,
Sicubi odoratas praetexit amaracus umbras,
Carpite, narcissique comas, sterilisque balausti.
Et tu, ne Corydonis opes despernat Alexis,
Formoso Nais puero formosior ipsa
Fer calathis violam, & nigro permista ligustro
Balsama cum casia nectens, croceosque corymbos,
Sparge mero Bacchi: nam Bacchus condit odores.
Et vos agrestes, duro qui pollice molles
Demetitis flores, cano jam vimine textum
Sirpiculum ferrugineis cumulate hyacinthis.
Jam rosa distendat contorti stamina junci
Pressaque flammeola rumpatur fiscina caltha,
Mercibus & vernis dives Vortumnus abundet,
Et titubante gradu multo madefactus Iaccho
Aere sinus gerulus plenos gravis urbe reportet.
Sed cum maturis flavebit messis aristis,
Atque diem gemino Titan extenderit astro,
Hauserit & flammis Lernaei brachia Cancri,
Allia cum cepis, cereale papaver anetho

Jungite, dumque virent nexos deferte maniplos,
Et celebres fortis fortunae dicite laudes,
Mercibus exactis, hilaresque recurrite in hortos.
Tum quoque prosciſſo riguoque inſperſa novali
Ocima comprimite, & gravibus denſate cylindris,
Exurat ſata ne reſoluti pulveris aeſtus,
Parvulus aut pulex irrepens dente laceſſat,
Neu formica rapax populari ſemina poſſit.
Nec ſolum teneras audent erodere frondes
Implicitus conchae limax, hirſutaque campe:
Sed cum jam valido turgeſcit lurida caule
Braſſica, cumque tument pallentia robora betae.
Mercibus atque olitor gaudet ſecurus adultis,
Et jam maturis quaerit ſupponere falcem,
Saepe ferus duros jaculatur Juppiter imbres,
Grandine dilapidans hominumque boumque labores:
Saepe etiam gravidis irrorat peſtifer undis,
Ex quibus infeſtae Baccho, glauciſque ſalictis
Naſcuntur volucres, ſerpitque eruca per hortos;
Quos ſuper ingrediens exurit ſemina morſu,
Quae capitis viduata coma, ſpoliataque nudo

Vertice, trunca jacent triſti conſumpta veneno.
Haec ne ruricolae paterentur monſtra, ſalutis
Ipſa novas artes varia experientia rerum,
Et labor oſtendit miſeris, uſuſque magiſter
Tradidit agricolis, ventos ſedare furentes,
Et tempeſtatem Thuſcis avertere ſacris.
Hinc mala Rubigo virideis, ne torreat herbas,
Sanguine lactentis catuli placatur & extis.
Hinc caput Arcadici nudum cute fertur aſelli
Tyrrhenus fixiſſe Tages in limite ruris.
Utque Jovis magni prohiberet fulmina Tarchon,
Sepe ſuas ſedes praecinxit, vitibus albis.
Hinc Amythaonius docuit quem plurima Chiron,
Nocturnas crucibus volucres ſuſpendit & altis
Culminibus vetuit feralia carmina flere.
Sed re dira novas ſegetes animalia carpant,
Profuit interdum medicantem ſemina pingui
Palladia ſine fruge ſalis conſpergere amurca,
Innatave laris nigra ſatiare favilla.
Profuit & plantis latices infundere amaros
Marrubii, multoque ſedi contingere ſucco.
At ſi nulla valet medicina repellere peſtem,
Dardaniae veniant artes, nudataque plantas

Foemina, quae justis tum demum operata juventae
Legibus, obscaeno manat pudibunda cruore,
Sed resoluta sinus, resoluto moesta capillo,
Ter circum areolas, & sepem ducitur horti.
Quae cum, lustravit gradiens, (mirabile visu)
Non aliter quam decussa pluit arbore nimbus
Vel teretis mali, vel tectae cortice glandis,
Volvitur ad terram distorto corpore campe.
Sic quondam magicis sopitum cantibus anguem
Vellere Phryxeo delapsum vidit Iolcos.
Sed jam prototomos tempus decidere caules,
Et Tartesiacos, Paphiosque revellere thyrsos.
Atque apio fasces, & secto cingere porro.
Jamque eruca salax foecundo provenit horto.
Lubrica jam lapathos, jam rhamni sponte viresçunt,
Et scylla, hirsuta sepes nunc horrida rusco
Prodit, & asparagi corruda simillima filo,
Humidaque andrachne sitientes protegit antes,
Et gravis atriplici consurgit longa fasellus,
Tum modo dependens trichilis, modo more chelydri
Sole sub aestivo gelidas per graminis umbras
Intortus cucumis, praegnansque cucurbita serpit.

Una neque eſt illis facies. Nam ſi tibi cordi
Longior eſt, gracili capitis, quae vertice pendet.
Et tenui collo ſemen lege: ſive globoſi
Corporis, atque utero nimium, quae vaſta tumeſcit;
Ventre leges medio, ſobolem dabit illa capacem
Naryciae picis, aut Actaei mellis Hymetti,
Aut habilem lymphis hamulam, Bacchove lagoenam
Tum pueros eadem fluviis innare docebit.
Lividus at cucumis gravida, qui naſcitur alvo,
Hirtus, & ut coluber nodoſo gramine tectus,
Ventre cubat flexo, ſemper collectus in orbem,
Noxius exacuit morbos aeſtatis iniquae.
Foetidus hic ſucco, pingui quoque ſemine fartus.
At qui ſub trichila manantem repit ad undam,
Labentemque ſequens nimio tenuatur amore,
Candidus, effoetae trémebundior ubere porcae,
Mollior infuſo calathis modo lacte gelato,
Dulcis erit, riguoque madeſcit luteus arvo,
Et feret auxilium quondam mortalibus aegris.

Cum canis Erigones flagrans Hyperionis aestu
Arboreos aperit foetus, cumulataque moris
Candida sanguineo manat fiscella cruore,
Tunc praecox bifera descendit ab arbore ficus,
Armeniisque, & cereolis, pruniscque Damasci
Stipantur calathi, & pomis quae barbara Persis
Miseret (ut fama est) patriis armata venenis.
At nunc expositi parvo discrimine lethi
Ambrosios praebent succos, oblita nocendi.
Quin etiam ejusdem gentis de nomine dicta
Exiguo properant mitescere Persica malo.
Tempestiva manent, quae maxima Gallia donat;
Frigoribus pigro veniunt Asiatica foetu.
At gravis Arcturi sub sidere parturit arbos
Livia, Chalcidicis & Caunis aemula Chiis,
Purpureaeque Chelidoniae, pingueisque Marisicae,
Et Callistruthis roseo, quae semine ridet,
Albaque, quae servat flavae cognomina cerae,
Sciffa Libysca simul, picto quoque Lydia tergo.
Quin & Tardipedi sacris jam rite solutis
Nube nova seritur, caeli pendentibus undis,
Gongylis, illustri mittit quam Nursia campo,
Quaeque Amiterninis defertur bunias arvis.

Sed jam maturis nos flagitat anxius uvis
Euius, excultoſque jubet claudamus, ut hortos,
Claudimus, imperioque tuo paremus agreſtes,
Ac metimus laeti tua munera dulcis Iacche,
Inter laſcivos Satyros, Panaſque biformes,
Brachia jactantes vetulo marcentia vino.
Et te Maenalium, te Bacchum, teque Lyaeum,
Lenaeumque patrem canimus ſub tecta vocantes,
Ferveat ut lacus, & multo completa Falerno
Exundent pingui ſpumantia dolia muſto.
Hactenus arvorum cultus, Silvine, docebam
Siderei vatis referens praecepta Maronis,
Qui primus veteres auſus recludere fontes
Aſcraeum cecinit Romana per oppida carmen.

L. J. M. COLVMELLAE
DE
RE RVSTICA
LIBER VNDECIMVS

CAPVT I.

Quae intra villam agi debeant ab homine officio villicationis praepoſito.

CLAVDIVS Auguſtalis, tam ingenuae naturae, quam eruditionis adoleſcens, complurium ſtudiorum & praecipue agricolationum ſermonibus inſtigatus excudit mihi, cultus hortorum proſa ut oratione componerem. Nec me tamen fallebat hic eventus rei, cum praedictam materiam carminis legibus implicarem. Sed tibi, Publi Silvine, pertinaciter expetenti verſificationis noſtrae guſtum, negare non ſuſtinebam, facturus mox, ſi collibuiſſet, quod nunc aggredior, ut olitoris curam ſubtexerem villici officiis: quae quamvis primo rei ruſticae libro videbar aliquatenus executus; quoniam tamen eam ſimili deſiderio noſter idem Auguſtalis ſaepius flagitabat, numerum, quem jam quaſi conſummaveram, voluminum exceſſi, & hoc undecimum prae-

ceptum ruſticationis memoriae tradidi. Villicum fundo familiaeque praeponi convenit aetatis nec primae, nec ultimae. Nam ſervitia ſic tirunculum contemnunt, ut ſenem: quoniam ille nondum novit opera ruris, hic exequi jam non poteſt; atque hunc adoleſcentia negligentem, ſenectus illum facit pigrum. Media igitur aetas huic officio eſt aptiſſima: poteritque ab anno trigeſimo uſque in ſexageſimum, ſi non interveniant fortuita corporis vitia, ſatis validi fungi muneribus agricolae. Quiſquis autem deſtinabitur huic negotio, ſit oportebit idem ſcientiſſimus robuſtiſſimuſque, ut edoceat ſubjectos, & ipſe commode faciat, quae praecipit. Siquidem NIHIL recte ſine exemplo docetur, aut diſcitur, praeſtatque villicum magiſtrum eſſe operariorum, non diſcipulum, cum etiam de patrefamilias priſci moris exemplum Cato dixerit, MALE agitur cum domino, quem villicus docet. Itaque in Oeconomico Xenophontis, quem M. Cicero Latino ſermoni tradidit, vir egregius ille Iſchomachus Athenienſis, rogatus a Socrate, utrumne, ſi res familiaris deſideraſſet, mercari villicum tamquam fabrum, an a ſe inſtituere conſueverit: Ego vero, inquit, ipſe inſtituo. Etenim qui me abſente

in meum locum ſubſtituitur, & vicarius meae diligentiae ſuccedit, is ea, quae ego, ſcire debet. Sed haec nimium priſca, & ejus quidem temporis ſunt, quo idem Iſchomachus negabat, quemquam ruſticari neſcire. Nos autem memores ignorantiae noſtrae vigentis ſenſus adoleſcentulos, corporiſque robuſti peritiſſimis agricolis commendemus. quorum monitionibus vel unus ex multis (nam eſt difficile erudire) non ſolum ruſticationis, ſed imperandi conſequatur ſcientiam. Quidam enim quamvis operum probatiſſimi artifices, imperitandi parum prudentes, aut ſaevius, aut etiam lenius agendo, rem dominorum corrumpunt. Quare, ſicut dixi, docendus & a pueritia ruſticis operibus edurandus, multiſque prius experimentis inſpiciendus erit futurus villicus. nec ſolum an perdidicerit diſciplinam ruris, ſed an etiam domino fidem ac benevolentiam exhibeat, ſine quibus nihil prodeſt villici ſumma ſcientia. Potiſſimum autem eſt in eo magiſterio ſcire & aeſtimare, quale officium & qualis labor ſit cuique injungendus. Nam nec valentiſſimus poſſit exequi, quod imperatur, ſi neſciat, quid agat; nec peritiſſimus, ſi ſit invalidus. Qualitas ita cujuſque rei conſideranda eſt. quippe ali-

qua sunt opera tantummodo virium, tanquam promovendi onera portandique: aliqua sociata viribus & arti, ut fodiendi arandique, segetes & prata desecandi: nonnullis minus virium, plus artis adhibetur, sicut putationibus insitionibusque vineti: plurimum etiam scientia pollet in aliquibus, ut in pastione pecoris, atque ejusdem medicina. quorum omnium officiorum villicus, quem jam prius dixi, aestimator bonus esse non potest, nisi fuerit etiam peritus, ut in unoquoque corrigere queat perperam factum. NEQVE enim satis est reprehendisse peccantem, si non doceat recti viam. Libenter igitur eadem loquor: tam docendus est futurus villicus, quam futurus figulus aut faber. Et haud facile dixerim, num illa tanto expeditiora sint discentibus artificia, quanto minus ampla sunt. Rusticationis autem magna & diffusa materia est, partesque si velimus ejus percensere, vix numero comprehendamus. Quare satis admirari nequeo, quod primo scriptorum meorum exordio jure conquestus sum: caeterarum artium minus vitae necessariarum repertos antistites; agriculturae neque discipulos, neque praeceptores inventos: nisi magnitudo rei pepererit reverentiam vel discendi, vel

profitendi pene immensam scientiam, cum tamen non ideo turpi desperatione oportuerit eam negligi. Nam nec oratoria disciplina deseritur, quia perfectus orator nusquam repertus est; nec philosophia, quia nullus consummatae sapientiae: sed e contrario plurimi semetipsos exhortantur vel aliquas partes earum addiscere, quamvis universas percipere non possint. Etenim quae probabilis ratio est obmutescendi, quia nequeas orator esse perfectus; aut in socordiam compelli, quia desponderis sapientiam? MAGNAE rei, quantulumcunque possederis, fuisse participem, non minima est gloria. Quis ergo, inquis, docebit futurum villicum, si nullus professor est? Et ego intelligo, difficillimum esse ab uno velut auctore cuncta rusticationis consequi praecepta. Verumtamen ut universae disciplinae vix aliquem consultum, sic plurimos partium ejus invenias magistros, per quos efficere queas perfectum villicum. Nam & arator reperitur aliquis bonus, & optimus fossor, aut foeni sector, nec minus arborator & vinitor, tum etiam veterinarius & probus pastor, qui singuli rationem scientiae sui desideranti non subtrahant. Igitur complurium agrestium formatus artibus, qui susceperit

officium villicationis, in primis convictum domesticum, multoque etiam magis externum vitet. Somni & vini sit abstinentissimus, quae utraque sunt inimicissima diligentiae. Nam & ebrioso cura officii pariter cum memoria subtrahitur; & somniculoso plurima effugiunt. Quid enim potest aut ipse agere, aut cuiquam dormiens imperare? Tum etiam sit a venereis amoribus aversus: quibus si se dediderit, non aliud quidquam possit cogitare, quam illud, quod diligit. Nam vitiis ejusmodi pellectus animus, nec praemium jucundius quam fructum libidinis, nec supplicium gravius quam frustrationem cupiditatis existimat. Igitur primus omnium vigilet, familiamque semper ad opera cunctantem pro temporibus anni festinanter producat, & strenue ipse praecedat. Plurimum enim refert colonos a primo mane opus aggredi, nec lentos per otium pigre procedere. Siquidem Ischomachus idem ille, MALO, inquit, unius agilem atque industriam, quam decem hominum negligentem & tardam operam. Quippe plurimum affert mali, si operario meretricandi potestas fiat. Nam ut in itinere conficiendo saepe dimidio maturius pervenit is, qui naviter, & sine ullis concessationibus permeabit,

meabit, quam is, qui cum sit una profectus, umbras arborum, fonticulorumque amoenitatem, vel aurae refrigerationem captavit: sic in agresti negotio dici vix potest, quid navus operarius ignavo & cessatore praestet. Hoc igitur custodire oportet villicum, ne statim a prima luce familia cunctanter & languide procedat, sed velut in aliquod proelium cum vigore & alacritate animi procedentem eum tanquam ducem strenue sequatur, variisque exhortationibus in opere ipso exhilaret laborantes: & interdum, tanquam deficienti succursurus, ferramentum auferat parumper, & ipse fungatur ejus officio, moneatque sic fieri debere, ut ab ipso fortiter sit effectum. Atque ubi crepusculum incesserit, neminem post se relinquat, sed omnes subsequatur more optimi pastoris, qui e grege nullam pecudem patitur in agro relinqui. Tum vero, cum tectum subierit, idem faciat, quod ille diligens opilio: nec in domicilio suo statim delitescat, sed agat cujusque maximam curam. Sive quis (quod accidit plerumque) sauciatus in opere noxam ceperit, adhibeat fomenta: sive alter languidior est, in valetudinarium confestim deducat, & convenientem ei caeteram curationem adhiberi jubeat. Eorum vero, qui

recte valebunt, non minor habenda erit ratio, ut cibus & potio sine fraude a cellariis praebeatur. consuescatque rusticos circa larem domini, focumque familiarem semper epulari, atque ipse in conspectu eorum similiter epuletur, sitque frugalitatis exemplum: nec nisi sacris diebus accubans coenet, festosque sic agat, ut fortissimum quemque, & frugalissimum largitionibus prosequatur, nonnunquam etiam suae mensae adhibeat, & velit aliis quoque honoribus dignari. Tum etiam per ferias instrumentum rusticum, sine quo nullum opus effici potest, recognoscat & saepius inspiciat ferramenta: eaque semper duplicia comparet, ac subinde refecta custodiat, ne si quod in opere vitiatum fuerit, a vicino petendum sit; quia plus in operis servorum avocandis, quam in pretio rerum hujusmodi dependitur. Cultam vestitamque familiam utiliter magis habeat, quam delicate, id est, munitam diligenter a frigoribus & imbribus; quae utraque prohibentur optime pellibus manicatis & sagatis cucullis: idque si fiat, omnis pene hiemalis dies in opere tolerari possit. Quare tam vestem servitiorum, quam, ut dixi, ferramenta bis debebit singulis mensibus recensere. Nam frequens recognitio nec

impunitatis ſpem, nec peccandi locum praebet. Itaque mancipia vincta, quae ſunt ergaſtuli, per nomina quotidie citare debebit atque explorare, ut ſint compedibus diligenter innexa: tum etiam cuſtodiae ſedes an tuta & recte munita ſit: nec, ſi quem dominus aut ipſe vinxerit, ſine juſſu patrisfamiliae reſolvat. Sacrificia niſi ex praecepto domini facere neſciat: aruſpicem, ſagamque ſua ſponte non noverit; quae utraque genera vana ſuperſtitione rudes animos infeſtant. Non urbem, non ullas nundinas, niſi vendendae aut emendae rei neceſſariae cauſa, frequentaverit. Neque enim coloniae ſuae terminos egredi debet, nec abſentia ſua familiae ceſſandi aut delinquendi ſpatium dare. Semitas, novoſque limites in agro fieri prohibeat. Hoſpitem, niſi ex amicitia domini, quam rariſſime recipiat. Ad miniſteria ſua conſervos non adhibeat: nec ulli terminos egredi (niſi magna coëgerit neceſſitas) permittat. Pecuniam domini neque in pecore, nec in aliis rebus promercalibus occupet. Haec enim res avocat villici curam, & eum negotiatorem potius facit, quam agricolam: nec unquam ſinit eum cum rationibus domini paria facere; ſed ubi aeris numeratio exigitur, res pro

nummis ostenditur. Itaque tam istud vitandum habebit, quam hercule fugiendum venandi aut aucupandi studium, quibus rebus plurimae operae avocantur. Jam illa, quae etiam in majoribus imperiis difficulter custodiuntur, considerare debebit, ne aut crudelius, aut remissius agat cum subjectis: semperque foveat bonos & sedulos, parcat etiam minus probis, & ita temperet, ut magis ejus vereantur severitatem, quam ut saevitiam detestentur. Poteritque id custodire, si MALVERIT cavere, ne peccet operarius, quam cum peccaverit, sero punire. NVLLA est autem vel nequissimi hominis amplior custodia, quam quotidiana operis exactio. Nam illud verum est M. Catonis oraculum, NIHIL agendo homines male agere discunt. Itaque curabit villicus, ut justa reddantur; istaque non aegre consequetur, si semper se repraesentaverit. Sic enim & magistri singulorum officiorum diligenter exequentur sua munia: & familia, post operis exercitationem fatigata, cibo quietique potius ac somno, quam maleficiis, operam dabit. In universa porro villicatione, sicut in caetera vita, PRETIOSISSIMVM est intelligere quemque, nescire se, quod nesciat, semperque cupere, quod

ignoret, addiscere. Nam etsi multum prodest scientia, plus tamen obest imprudentia, vel negligentia, maxime in rusticatione; cujus disciplinae caput semel est feciſſe, quicquid exegerit ratio culturae. Nam quamvis interdum emendatum sit perperam factum imprudentia, vel negligentia; res tamen ipsa jam domino decoxit, nec mox in tantum exuberat, ut & jacturam capitis amissi restituat, & quaestum resarciat. Praelabentis vero temporis fuga quam sit inreparabilis, quis dubitet? Ejus igitur memor praecipue semper caveat, ne improvidus ab opere vincatur. Res est agrestis insidiosissima cunctanti: quod ipsum expressius vetustissimus auctor Hesiodus hoc versu significavit, Αἰεὶ δ' ἀμβολιεργὸς ὁ δ' ἔταισι παλαίει. Quare vulgare illud de arborum positione rusticis usurpatum, "Serere ne dubites", id villicus ad agri totum cultum referri judicet, credatque, praetermissas non duodecim horas, sed annum periisse, nisi sua quaque die, quod instat, effecerit. Nam cum propriis pene momentis fieri quidque debeat: si unum opus tardius quam oporteat peractum sit, caeterae quoque, quae sequuntur, culturae, post justa tempora serius adhibentur, omnisque turbatus operis ordo

ſpem totius anni fruſtratur. Quare neceſſaria eſt menſtrui cujuſque officii monitio ea, quae pendet ex ratione ſiderum caeli. Nam, ut ait Virgilius: —"tam ſunt Arcturi ſydera nobis Haedorumque dies ſervandi, & lucidus anguis, Quam quibus in patriam ventoſa per aequora vectis Pontus & oſtriferi fauces tentantur Abydi". Contra quam obſervationem multis argumentationibus diſſeruiſſe me non infitior in iis libris, quos adverſus aſtrologos compoſueram. Sed illis diſputationibus exigebatur id, quod improbiſſime Chaldaei pollicentur, ut certis quaſi terminis, ita diebus ſtatis aëris mutationes reſpondeant: in hac autem ruris diſciplina non deſideratur ejuſmodi ſcrupuloſitas; ſed (quod dicitur) pingui Minerva, quantum vis utile continget villico tempeſtatis futurae praeſagium, ſi perſuaſum habuerit, modo ante, modo poſt, interdum etiam ſtato die orientis, vel occidentis competere vim ſideris. Nam ſatis providus erit, cui licebit ante multos dies cavere ſuſpecta tempora.

Quid quoque menſe faciendum ſit, temporibus accommodando opera.

Cap. II. Itaque praecipiemus, quid quoque menſe faciendum ſit, ſic temporibus ac-

commodantes opera ruris, ut permiserit status caeli: cujus varietatem mutationemque, si ex hoc commentario fuerit praemonitus villicus, aut nunquam decipietur, aut certe non frequenter. Et ne discedamus ab optimo vate, [qui ait, ille] "Vere novo terram proscindere incipiat". Novi autem veris principium non sic observare rusticus debet, quemadmodum astrologus, ut expectet certum diem illum, qui veris initium facere dicitur: sed aliquid etiam sumat de parte hiemis. quoniam consumta bruma, jam intepescit annus, permittitque clementior dies opera moliri. Possit igitur ab Idibus Januariis (ut principem mensem Romani anni observet) auspicari culturarum officia: quorum alia ex pristinis residua consummabit, atque alia futuri temporis inchoabit. Satis autem erit per dimidios menses exequi quodque negotium, quia neque praefestinatum opus nimium immature videri possit ante quindecim dies factum, nec rursus post totidem nimium tarde. Idibus Januariis ventosa tempestas, & incertus status. XVIII Calend. Febr. tempestas incerta. XVII Cal. Febr. sol in Aquarium transit; Leo mane incipit occidere; Africus, interdum Auster cum pluvia. XVI Cal. Febr. Cancer

desinit occidere; hiemat. XV Calend. Febr. Aquarius incipit oriri; ventus Africus tempestatem significat. XI Cal. Febr. Fidicula vespere occidit. dies pluvius. IX Cal. Febr. ex occasu pristini sideris significat tempestatem: interdum etiam tempestas. VI Calend. Febr. Leonis, quae est in pectore, clara stella occidit, nonnunquam significatur hiems bipartita. V Cal. Febr. Auster, aut Africus, hiemat, pluvius dies. III Cal. Febr. Delphinus incipit occidere. item Fidicula occidit. Pridie Cal. Febr. eorum, quae supra sunt, siderum occasus, tempestatem facit: interdum tantummodo significat. Hoc igitur semestrium, & deinceps sequentia tempestatibus annotatis percensuimus, quo cautior villicus (ut jam dixi) vel abstinere possit operibus: vel festinationem adhibere. Itaque ab Idibus Januariis, quod habetur tempus inter brumam, & adventum Favonii, si major est vineae vel arbusti modus, quicquid ex autumno putationis superfuit, repetendum est, sed ita, ne matutinis temporibus vitis saucietur: quoniam pruinis & gelicidiis nocturnis adhuc rigentes materiae ferrum reformidant. Itaque dum hae regelare sinuntur, usque in horam secundam vel tertiam poterunt vepres attenuari,

ne incremento suo agrum occupent, segetes emundari, acervi virgarum fieri; ligna denique confici, ut tum demum tepenti jam die putatio administretur. Apricis etiam & macris aut aridis locis prata jam purganda, & a pecore sunt defendenda, ut foeni sit copia. Siccos quoque & pingues agros tempestivum est proscindere. Nam & uliginosi, & mediocris habitus sub aestate vervagendi sunt; macerrimi vero & aridi post aestatem, primo autumno, arandi & subinde conserendi. Sed jugerum agri pinguis hoc tempore anni commode duabus operis proscinditur, quia hibernis pluviis adhuc madens terra facilem cultum sui praebet. Eodemque mense ante Calend. Febr. sarriendae segetes autumnales, sive illae seminis adorei sunt, quod quidam far vernaculum vocant, seu tritici: eorumque tempestiva sarritio est, cum enata frumenta quatuor fibrarum esse coeperunt. Ordeum quoque maturum, quibus superest opera, nunc demum sarrire debebunt. Sed & faba eandem culturam exigit, si jam coliculus ejus in quatuor digitos altitudinis creverit. Nam prius sarriviſſe nimium teneram non expedit. Ervum quidem melius priore mense, nec tamen improbe hoc ipso vel proximo, se-

remus. Nam Martio nullo modo terrae committendum esse rustici praecipiunt. Vineae, quae sunt palatae & ligatae, recte jam fodiuntur. Surculi, qui primi florem afferunt, statim circa Idus inserendi sunt, ut cerasorum, tuberum, amygdalarum, persicorumque. Ridicis vel etiam palis conficiendis idoneum tempus est: nec minus in aedificia succidere arborem convenit. Sed utraque melius fiunt luna decrescente ab vigesima usque in trigesimam: quoniam omnis materia sic caesa judicatur carie non infestari. Palos una opera caedere & exputatos acuere centum numero potes: ridicas autem querneas, sive oleagineas findere, & dedolatas utraque parte exacuere numero sexaginta. Item ad lucubrationem vespertinam palos decem, vel ridicas quinque conficere, totidemque per antelucanam lucubrationem. Materies si roborea est, ab uno fabro dolari ad unguem per quadrata debet pedum XX: haec erit vehis una. Pinus autem V & XX pedum aeque ab uno expeditur, quae & ipsa vehis dicitur: nec minus ulmus & fraxinus pedum XXX; cupressus autem pedum XL: tum etiam sexagenum pedum abies, atque populus, singulis operis ad unguem quadrantur, atque omnes

hae menſurae ſimiliter vehes appellantur. His etiam diebus maturi agni, & reliqui foetus pecudum, nec minus majora quadrupedia charactere ſignari debent. Cal. Febr. Fidis incipit occidere, ventus Eurinus & interdum Auſter cum grandine eſt. III Nonas Febr. Fidis tota, & Leo medius occidit. Corus, aut Septentrio, nonnunquam Favonius. Nonis Febr. mediae partes Aquarii oriuntur, ventoſa tempeſtas. VII Idus Febr. Calliſto ſidus occidit; Favonii ſpirare incipiunt. VI Idus Febr. ventoſa tempeſtas. III Idus Febr. Eurus. per hoſce dies locis maritimis & calidis & ſiccis prata, vel arva purgantur, & in foenum ſubmittuntur. Reliquae partes vinearum propter brumam, [vel frigora] omiſſae, nunc palandae & alligandae ſunt, ne poſtea tumentes gemmae laedantur, & oculi atterantur. Item vinearum foſſio iiſdem locis peragenda, arbuſtorumque ſive putatio, ſive alligatio finienda eſt, quorum juſta certa eſſe non poſſunt. Inter Nonas deinde & Idus, pomorum ſeminaria facienda ſunt, & maturae plantae de ſeminariis in ſcrobes transferendae. Paſtinatio quoque, quae menſe Decembri vel Januario coepta eſt, jam nunc includenda & vitibus conſerenda eſt. Paſtinatur

autem terreni jugerum ita, ut ſolum in altitudinem trium pedum defodiatur operis LXXX: vel in altitudinem dipondii ſemiſſis, operis L: vel ad bipedalium, cui eſt altitudo duorum pedum, operis XL. Haec tamen in agro ſicco ſurculis conſerendis minima paſtinationis menſura eſt. Nam oleribus deponendis poſſit vel ſeſquipedalis altitudo ſatisfacere, quae plerumque in ſingula jugera triginta operis conficitur. Hoc eodem tempore ſtercoris pars in prata digerenda, pars oleis & caeteris arboribus inſpergenda. Quin etiam vitiaria diligenter facienda, malleoliſque quam recentiſſimis curioſiſſime pangenda. Populos & ſalices, & fraxinos, prius quam frondeant, plantaſque ulmorum nunc ponere utile eſt, aut ante ſatas nunc exputare & circumfodere, ac ſummas earum aeſtivas radiculas amputare. Sarmenta quoque (vineis nondum foſſis) atque arbuſtorum ramos e ſegetibus, aut rubos, & quicquid denique jacens, fodientem, vel alio genere terram molientem, poteſt impedire, nunc egerere & ad ſepem applicare oportet: roſaria nova conſerere, vel antiqua curare: arundineta nunc ponere, vel etiam priſtina colere: ſalicta facere, vel deputare, runcare ac fodere: geniſtam ſemine,

vel plantis in paſtinato, vel etiam ſulco deponere. Trimeſtrium quoque ſatio non eſt aliena huic tempori, quamvis tepidis regionibus melius adminiſtretur per menſem Januarium. Idibus Februariis Sagittarius veſpere occidit; vehementer hiemat. XVI Cal. Martii veſpere Crater oritur; venti mutatio. XV Calend. Martii ſol in Piſces tranſitum facit, nonnunquam ventoſa tempeſtas. XIII & XII Cal. Martii Favonius, vel Auſter cum grandine & nimbis. X Calend. Martii Leo definit occidere; venti Septentrionales, qui vocantur Ornithiae, per dies triginta eſſe ſolent, tum & hirundo advenit. IX Cal. Martii Arcturus prima nocte oritur, frigidus dies Aquilone, vel Coro, interdum pluvia. VIII Cal. Martii Sagitta crepuſculo incipit oriri, variae tempeſtates: [Halcyonei dies vocantur,] in Atlantico quidem mari ſumma tranquillitas notata eſt. VII Cal. Martii ventoſa tempeſtas, hirundo conſpicitur. Per hos dies frigidis locis earum rerum, quas ſupra ſcripſimus, tempeſtiva eſt adminiſtratio. locis autem calidioribus, quamvis ſera, tamen neceſſaria. Caeterum malleoli & viviradicis poſitio hujus temporis eſſe videtur optima. Nec tamen deterior etiam inter Cal. & Idus ſequentis

mensis, utique si non sit ferventissima regio: si vero etiam magis frigida, vel melior est. Insitio quoque arborum atque vitium tepidis locis hoc tempore commode administrabitur. Cal. Martii Africus; interdum Auster cum grandine. VI Nonas Martii Vindemiator apparet, quem Graeci τρυγητῆρα dicunt; Septentrionales venti. IIII Nonas Martii Favonius, interdum Auster; hiemat. Nonis Martii Equus mane oritur; flatus Aquilonis. III Idus Martii Piscis aquilonius desinit oriri, Septentrionales venti. Pridie Idus Martii Argo navis exoritur, Favonius, aut Auster, interdum Aquilo. His diebus commode instruuntur horti, de quibus suo loco dicam secretius, ne inter hanc quasi turbam operum negligentius olitoris officia descripsisse videar, aut nunc ordinem reliquarum culturarum coeptum interrupisse. Igitur a Calend. Martii eximia est vitium putatio usque in decimum Cal. Aprilium, si tamen se gemmae nondum moveant. Surculi quoque silentes ad insitionem nunc praecipue utiliterque leguntur, & ipsa insitio vitium atque arborum longe nunc est optima. Frigidis quoque locis & humidis vitium satio nunc praecipua est, sed & ficulnea cacumina jam tumentia utilissime ponuntur. Sarritura

quoque frumentorum iteratur egregie; modios tres una opera recte sarrit. Prata purgare, & a pecore defendere jam tempestivum est: locis quidem calidis & siccis etiam a mense Januario, ut supra diximus, id fieri debet: nam frigidis vel a Quinquatribus prata recte submittuntur. Scrobes omnis generis, quos eris autumno consiturus, hoc tempore praeparare oportebit: eorum quaternarii, hoc est quoquoversus pedum IIII, si est commodum terrenum, XIIII ab uno fiunt; ternarii autem XVIII. Caeterum ad deponendas vites, vel non magni incrementi arbores, sulcus qui sit pedum centum & viginti, latitudine bipedanea, in altitudinem deprimi debet dipondio semisse, eumque similiter una opera efficit. Rosarium serotinum perfossum & cultum habere, tempus est. Oleis laborantibus circum radices amurcam, quae salem non habeat, nunc conveniet infundere: maximis sex congii, mediocribus arboribus urnae satisfaciunt, caeteris aestimanda erit portio. Sed tamen quae nihil vitii habuerint, aliquanto laetiores fient, si amurca rigentur insulsa. Nonnulli hoc optimum tempus esse seminariis instituendis dixerunt. Tum etiam baccas lauri & myrti, caeterorumque viri-

dium semina in areolas differere praeceperunt. orthociſſos & ederas ab Idib. Februarii, vel etiam Calend. Martiis poni oportere iidem cenſuerunt. Idibus Mart. Nepa incipit occidere; ſignificat tempeſtatem. XVII Cal. April. Nepa occidit; hiemat. XVI Cal. April. Sol in Arietem tranſitum facit; Favonius, vel Corus. XII Cal. April. Equus occidit mane; Septentrionales venti. X Cal. April. Aries incipit exoriri; pluvius dies; interdum ningit. IX & VIII Calendarum Aprilium, Aequinoctium vernum tempeſtatem ſignificat. Ab Idibus eadem, quae ſupra, utique peragenda ſunt: optime autem uliginoſa & pinguia loca nunc demum proſcinduntur: & quae menſe Januario vervacta fecimus, nunc ultima parte Martii ſunt iteranda: & ſi quae pergulae vitium generoſarum, vel ſi quae in agris aut vepribus ſingulares arbores maritae a putatoribus relictae ſunt, ante Cal. April. utique deputari debent; poſt quem diem ſera & infructuoſa ſit hujuſmodi rerum cultura. Milii quoque & panici haec prima ſatio eſt, quae peragi debet circa Idus April. utriuſque ſeminis ſextarii quini ſingula jugera occupant. Quin etiam pecus lanatum, caeteraque quadrupedia tempus idoneum eſt caſtrandi. Locis

autem

autem tepidis ab Idibus Februarii usque in Idus Aprilis; in locis frigidis ab Idibus Martii usque in Idus Majas omnia recte pecora castrantur. Cal. Aprilis Nepa occidit mane, tempestatem significat. Nonas Aprilis Favonius aut Auster cum grandine, nonnunquam hoc idem pridie. Octavo Idus Aprilis Vergiliae vespere celantur, interdum hiemat. Septimo Idus Aprilis, & sexto, & quinto Austri & Africi tempestatem. Quarto Idus Aprilis, sole oriente, Libra occidere incipit, interdum tempestatem significat. Pridie Idus Aprilis Suculae celantur, hiemat. His diebus locis frigidis prima vinearum fossio utique ante Idus peragenda est: quaeque mense Martio post confectum aequinoctium fieri debuerunt, nunc denique quam primum exequenda sunt. Fici vitesque adhuc recte inseruntur: seminaria, quae sunt ante facta, runcari & adhuc commode fodiri possunt. Oves Tarentinae radice lanaria lavari debent, ut tonsurae praeparentur. Idibus Aprilis, ut supra, Libra occidit, hiemat. Decimooctavo Cal. Majas ventosa tempestas & imbres, nec hoc constanter. XV Cal. Majas sol in Taurum transitum facit, pluviam significat. XIIII Cal. Majas Suculae se vesperi celant, pluviam

significat. XI Calend. Majas ver bipartitur, pluvia & nonnunquam grando. Decimo Cal. Majas Vergiliae cum sole oriuntur, Africus vel Auster, dies humidus. Nono Cal. Majas prima nocte Fidicula apparet, tempestatem significat. Quarto Calend. Majas Auster fere cum pluvia. Tertio Cal. Majas mane Capra exoritur, Austrinus dies, interdum pluviae. Pridie Calend. Majas Canis se vespere celat: tempestatem significat. Per hos dies eadem, quae supra, persequemur, possuntque, si jam librum remittunt, inseri oleae, vel emplastrari, caeteraeque pomiferae arbores eodem emplastrationis genere inseri. Sed & prima pampinatio recte inchoatur, dum prorepentes oculi digito decuti possint. Siqua praeterea in vineis aut fossor disturbavit, aut negligentia omisit, diligens vinitor restituere debet, & fracta juga considerare & resarcire, aut disjectos palos reponere, ita ne teneros pampinos explantet. Eodem tempore secundi foetus pecudes signari oportet. Cal. Majis, hoc biduo sol unam dicitur tenere particulam. VI Nonas Majas Sucula cum sole exoritur, septentrionales venti. V Nonas Majas Centaurus totus apparet, tempestatem significat. III Nonas Majas idem sidus pluviam signifi-

cat. Pridie Nonas Majas Nepa medius occidit, tempestatem significat. Nonis Majis Vergiliae exoriuntur mane, Favonius. VII Idus Majas aestatis initium, Favonius, aut Corus, interdum etiam pluvia. VI Idus Vergiliae totae apparent, Favonius, aut Corus, interdum & pluviae. Tertio Idus Majas Fidis mane oritur, significat tempestatem. Per hos dies runcandae segetes sunt, foenisiciae instituendae. Bonus operarius prati jugerum desecat, nec minus mille ducentos manipulos unus obligat, qui sint singuli quaternarum librarum. Arbores quoque tempus est ablaqueatas circumfodere & operire: una opera novellas circumfodiet arbores octuaginta, mediocres LXV, magnas quinquaginta. Hoc mense seminaria omnia crebro fodere oportebit. Sed a Calendis Martiis usque in Idus Septembres, omnibus mensibus non solum seminariis, sed etiam novellis vineis danda fossio est. Iisdem diebus, ubi praegelidum & pluvium caelum est, oleae putantur & emuscantur. Caeterum tepidis regionibus duobus temporibus anni facere istud oportebit. primo ab Idibus Octob. usque in Idus Decembres, iterum ab Idibus Febr. usque in Idus Martias, si tamen arbor librum non re-

mittit. Hoc eodem menſe in paſtinato ſeminario noviſſima poſitio eſt olearis taleae, eamque oportet, cum panxeris, ſimo & cinere miſtis oblinire, & ſuperponere muſcum, ne ſole findatur, ſed hoc idem opus melius fiet ultima parte menſis Martii, vel prima menſis April. & caeteris temporibus, quibus praecepimus ſeminaria plantis vel ramis conſerere. Idibus Majis Fidis mane exoritur. Auſter, aut Euronotus, interdum dies humidus. XVII Calend. Junias idem quod ſupra. XVI & XV Calend. Junias Euronotus, vel Auſter cum pluvia. XIIII Cal. Jun. ſol in Geminos introitum facit. XII Cal. Junias Suculae exoriuntur, ſeptentrionales venti, nonnunquam Auſter cum pluvia. XI & X Calend. Junias Arcturus mane occidit, tempeſtatem ſignificat. VIII & VII, & VI Cal. Jun. Capra mane exoritur; ſeptentrionales venti. Ab Idib. uſque in Cal. Junias veteranam vineam, priuſquam florere incipiat, iterum fodere oportet, eandemque, & caeteras omnes vineas itidem pampinare. quod ſi ſaepius feceris, puerilis una opera jugerum vineti pampinabit. Quibuſdam regionibus oves nunc tondentur, & pecoris nati aut amiſſi ratio accipitur. Item qui lupinum ſtercorandi agri cauſa ſerit, nunc

demum aratro subvertit. Cal. Jun. & IIII Non. Aquila exoritur; tempestas ventosa & interdum pluvia. VII Idus Jun. Arcturus occidit; Favonius aut Corus. IIII Id. Jun. Delphinus vespere exoritur; Favonius; interdum rorat. His diebus, si [non] opere victi sumus, eadem, quae extremo mense Majo, facienda sunt: item omnes arbores fructiferae circumfossae aggerari debent, ut ante solstitium id opus peractum sit. Quin etiam pro conditione regionis & caeli terra vel proscinditur, vel iteratur: eaque, si est difficilis, proscinditur operis tribus, iteratur duabus, tertiatur una, lirantur autem jugera duo opera una. At si facilis est terra, proscinditur jugerum duabus operis, iteratur una, lirantur una jugera quatuor. [cum in subacta jam terra latiores porcae sulcantur.] quae ratio colligit, ut per autumnum facile possint uno jugo tritici obseri modii centum quinquaginta, caeterorumque leguminum modii centum. Iisdem diebus area triturae praeparanda est: ut quaeque res defecta erit, in eam conferatur. Vinearum quoque cultus, quibus major est modus, iteratus esse debet. Ante solstitium pabulum (si facultas est) vel nunc, vel etiam superioribus XV diebus, qui

fuerint ante Cal. Junii, pecori praeberi oportet. A Cal. autem Juniis, si jam deficit viridis herba, usque in ultimum autumnum frondem caesam praebebimus. Idibus Juniis calor incipit. XIII Calend. Jul. sol introitum in Cancro facit; tempestatem significat. XI Calend. Julii Anguifer, qui a Graecis dicitur ὀφιοῦχος, mane occidit, tempestatem significat. Octavo & VII, & VI Cal. Julii Solstitium, Favonius, & calor. Tertio Cal. Jul. ventosa tempestas. His diebus eadem, quae supra. Sed & viciam in pabulum secare oportet, priusquam siliquae ejus durentur; ordeum metere; fabam serotinam ducere; fabam maturam conterere, & paleam ejus diligenter recondere; ordeum terere, paleasque omneis recondere; alvos castrare, quas subinde nono quoque aut decimo die ad Calend. Majas considerare & curare oportet. Nunc autem si sunt pleni atque operculati favi, demetendi sunt: sin autem majore parte vacant, aut sine operculis adaperti sunt, nondum esse maturos significatur: itaque mellatio est differenda. Quidam in provinciis transmarinis vel hoc, vel sequente mense sesama serunt. Calend. Juliis Favonius, vel Auster, & calor. Quarto Non. Jul. Corona occidit mane. Pri-

die Nonas Jul. Cancer medius occidit; calor. Octavo Idus Jul. Capricornus medius occidit. Septimo Idus Jul. Cepheus vespere exoritur, tempestatem significat. Sexto Idus Jul. Prodromi flare incipiunt. His diebus eadem, quae supra. Sed & proscissum vervactum optime nunc iteratur, & silvestris ager decrescente Luna utilissime extirpatur. Idibus Juliis Procyon exoritur mane, tempestatem significat. Tertiodecimo Cal. Augustas Sol in Leonem transitum facit; Favonius. [Nono Calendas Augustas Leonis in pectore clara stella exoritur] interdum tempestatem significat. Octavo Cal. Augustas Aquarius incipit occidere clare; Favonius, vel Auster. Septimo Cal. Augustas Canicula apparet; caligo aestuosa. Sexto Cal. Augustas Aquila exoritur. Quarto Cal. Augustas Leonis in pectore clarae stellae exoriuntur; interdum tempestatem significat. Tertio Calendas Augustas Aquila occidit; significat tempestatem. His diebus locis temperatis & maritimis messis conficitur, & intra dies triginta, qua defecta est, stramenta praecisa in acervum congeruntur. Jugerum stramentorum opera una desecat, quibus remotis, priusquam sol acrior exuberat terram, omnes arbores, quae fue-

rant in segete, circumfodere & adobruere oportet. Item quibus magna sementis praeparatur, nunc debent iterare. Nam de fodiendis colendisve novellis vineis, saepius jam dixi, nullum esse mensem omittendum, donec autumnale aequinoctium conficiatur. Meminisse autem oportebit, ut per hos & Augusti mensis dies antelucanis & vespertinis temporibus frondem pecudibus caedamus. Item quascunque vineas cultur: sumus, ne per aestum, sed mane usque in tertiam, & a decima usque in crepusculum fodiamus. Quibusdam regionibus, sicut in Cilicia & Pamphylia, hoc mense sesama seruntur. Italiae autem regionibus humidis possunt ultimo mense Jun. seri. Quin etiam tempus est ficulneis arboribus caprificum suspendere, quod quidam existimant idcirco fieri debere, ne fructus decidat, & ut celerius ad maturitatem perveniat. Cal. Augusti Etesiae. Pridie Non. Augusti Leo medius exoritur, tempestatem significat. VII Id. Augusti Aquarius occidit medius. nebulosus aestus. Pridie Id. Aug. Fidis occidit mane, & autumnus incipit. His diebus eadem, quae supra. Nonnullis tamen locis favi demetuntur: qui si non sunt melle repleti, nec operculati, dif-

ferenda est in mensem Octob. mellatio. Idibus Augusti Delphini occasus tempestatem significat. XIX Cal. Septemb. ejusdem sideris matutinus occasus tempestatem significat. XIII Cal. Septemb. sol in Virginem transitum facit. Hoc & sequenti die tempestatem significat, interdum & tonat. Hoc eodem die Fidis occidit. Decimo Cal. Septemb. ex eodem sidere tempestas plerumque oritur & pluvia. VII Calend. Septemb. Vindemiator exoritur mane, & Arcturus incipit occidere; interdum pluvia. III Cal. Septemb. humeri Virginis exoriuntur; Etesiae desinunt flare, & interdum hiemat. Pridie Cal. Septemb. Andromeda vesperi exoritur; interdum hiemat. His quidem diebus arbores ficorum inoculantur; quod genus insitionis emplastratio vocatur. Idque licet vel commodius facere superiore mense post Idus Jul. quo tempore etiam aliarum arborum nonnulli emplastrationem faciunt. Quibusdam locis, ut in Baetica, maritimis regionibus, & in Africa vindemia conficitur. Sed frigidioribus regionibus pulverationem faciunt, quam vocant rustici occationem, cum omnis gleba in vineis refringitur & resolvitur in pulverem. Hoc eodem tempore prius quam vineae pulverentur, si

perexilis est, vel rara ipsa vitis, lupini modii tres vel quatuor in singula jugera sparguntur & inoccantur; qui, cum fruticaverint, prima tum fossione conversi satis bonum stercus vineis praebent. Multi etiam, si pluvius est status caeli, sicut suburbana regione Italiae pampinis vitem spoliant, ut percoqui fructus possint, nec putrescere imbribus. At e contrario locis calidioribus, ut modo nominatis provinciis, circa vindemiam adumbrantur, vel stramentis, vel aliis tegumentis uvae, ne ventis aut caloribus exarescant. Hoc idem tempus est aridis uvis ficisque conficiendis, de quibus, quemadmodum passae fiant, suo loco dicemus, cum villicae persequemur officia. Filix quoque aut carex, ubicunque nascitur, Augusto mense recte extirpatur, melius tamen circa Idus Julias ante Caniculae exortum. Cal. Septemb. calor. Quarto Nonas Septemb. Piscis austrinus definit occidere, calor. Non. Septemb. Arcturus exoritur, Favonius, vel Corus. VII Idus Septemb. Piscis aquilonius definit occidere, & Capra exoritur, tempestatem significat. Tertio Idus Septemb. Favonius aut Africus, Virgo media exoritur. His diebus locis maritimis & calidis vindemia & caetera, quae supra scripta sunt, com-

mode administrantur. Iteratio quoque arationis peracta esse debet, si serius terra prosciſſa est. Sin autem celerius, etiam tertiatum solum esse convenit. Hoc etiam tempore, qui consueverunt vina condire, aquam marinam praeparant, & advectam decoquunt: de qua conficienda, cum villicae officia exequar, praecipiam. Id. Septemb. ex priſtino sidere nonnunquam tempestatem significat. XV Cal. Octob. Arcturus exoritur; Favonius aut Africus, interdum Eurus, quem quidam Vulturnum appellant. XIIII Calend. Octob. spica Virginis exoritur; Favonius aut Corus. XIII Cal. Octob. sol in Libram transitum facit, Crater matutino tempore apparet. XI Cal. Oct. Pisces occidunt mane, item Aries occidere incipit; Favonius aut Corus, interdum Auster cum imbribus. X Calend. Oct. Argo navis occidit; tempestatem significat, interdum etiam pluviam. Nono Cal. Octob. Centaurus incipit mane oriri; tempestatem significat, interdum & pluviam. Octavo Cal. Oct. & septimo & sexto, Aequinoctium autumnale pluviam significat. Quinto Calend. Octob. Haedi exoriuntur; Favonius, nonnunqum Auster cum pluvia. Quarto Calend. Oct. Virgo desinit oriri; tempestatem signifi-

cat. His diebus vindemiae pluribus regionibus fiunt, quarum maturitatem alii aliter interpretati sunt. Quidam cum vidissent partem aliquam uvarum virescere, crediderunt tempestivam esse vindemiam: quidam cum coloratas & perlucidas uvas animadvertissent: nonnulli etiam cum pampinos ac folia decidere considerassent. Quae omnia fallacia sunt: quoniam immaturis uvis eadem omnia possunt accidere, propter intemperiem solis aut anni. Itaque nonnulli gustu explorare maturitatem tentaverunt, ut sive dulcis esset sapor uvae, sive acidus, proinde aestimarent. Sed & haec ipsa res habet aliquam fallaciam. Nam quaedam genera uvarum nunquam dulcedinem capiunt propter austeritatem nimiam. Itaque opportunum est (quod nos facimus) ipsam naturalem contemplari maturitatem. Naturalis autem maturitas est, si cum expresseris vinacea, quae acinis celantur, jam infuscata, & nonnulla propemodum nigra fuerint. Nam colorem nulla res vinaceis potest afferre, nisi naturae maturitas, praesertim cum ita media parte acinorum sint, ut & a sole aestivante, & a ventis protegatur, humorque ipse non patitur ea percoqui aut infuscari, nisi suapte natura. Hoc igitur cum

exploratum habuerit villicus, sciat vindemiam sibi esse faciendam. Sed antequam fructum cogere incipiat, cuncta praeparanda erunt superiore (si fieri posset) mense: si minus, certe ut ante quindecim dies dolia partim picata, partim defricata, & diligenter lota marina vel aqua salsa, & recte siccata; tum & opercula, colaque & caetera, sine quibus probe confici mustum non potest; torcularia vero & fora diligenter emundata, lotaque, &, si res ita exegerit, picata; praeparataque habeat ligna, quibus defrutum & sapam decoquat. Tum etiam salem atque odoramenta, quibus condire vina consueverint, multo ante reposita esse oportet. Nec tamen haec cura totum avocet eum a caetera ruris cultura. Nam & napinae, itemque rapinae, siccaneis locis per hos dies fiunt. Farraginaria quoque, pecori futura per hiemem praesidio; itemque siliquam, quod rustici foenum graecum vocant, nec minus in pabulum vicia nunc demum conseritur. Tum etiam lupini haec erit praecipua satio, quem quidam vel ab area protinus in agrum deferri putant oportere. Milium & panicum hoc tempore demetitur, quo faseolus ad escam seritur. Nam ad percipiendum semen ultima parte Octobris circa

Calendas Novembris melius obruitur. Quare cum haec cuncta in agris exequi debeat, possit eorum curam, quae intra villam facienda sunt, villicae delegare: ita tamen, ut ipse consideret, an recte facta sint. Cal. Octobribus, & sexto Non. interdum tempestatem significat. Quarto Non. Octobris Auriga occidit mane, Virgo definit occidere; significat nonnunquam tempestatem. Tertio Non. Oct. Corona incipit exoriri, significat tempestatem. Pridie Non. Octobris Haedi oriuntur vespere; Aries medius occidit; Aquilo. Octavo Id. Octobris Coronae clara stella exoritur. Sexto Id. Octobris Vergiliae exoriuntur vespere; Favonius & interdum Africus cum pluvia. Tertio & pridie Idus Octobris Corona tota mane exoritur; Auster hibernus, & nonnunquam pluvia. Per hos dies frigidis regionibus vindemia & caetera, quae supra scripta sunt, fieri solent. Iisdemque regionibus frumenta matura seruntur, & praecipue far adoreum. Locis etiam opacis triticum nunc recte seritur. Et quoniam sementis mentionem fecimus, non intempestive, quantum cujusque seminis jugerum agri recipiat, referemus. Jugerum agri recipit tritici modios quatuor vel quinque, farris adorei modios novem vel de-

cem, ordei modios quinque vel sex, milii vel panici sextarios quatuor vel quinque, lupini modios octo vel decem, faseoli modios quatuor, pisi modios tres vel quatuor, fabae modios sex, lentis modium unum vel paullo amplius, lini seminis modios novem vel decem, cicerculae modios tres vel quatuor, ciceris modios duos vel tres, sesami sextarios quatuor vel quinque, viciae pabularis modios septem vel octo, viciae seminalis modios quinque vel sex, ervi modios quatuor vel quinque, farraginis ordeaceae modios septem vel octo, siliquae modios sex, medicae singulos cyathos serere oportet, in areolis longis pedum denum, latis pedum quinum. Cannabis grana sex in pede quadrato ponuntur. Idib. Octobris & sequenti biduo interdum tempestas, nonnunquam rorat. Decimotertio Calendas Novembris sol in Scorpionem transitum facit. Tertiodecimo & duodecimo Calendas Novembris solis exortu Vergiliae incipiunt occidere; tempestatem significat. Undecimo Cal. Novembris Tauri cauda occidit; Auster, interdum pluvia. Octavo Calendas Novembris Centaurus exoriri mane definit; tempestatem significat. Septimo Calend. Novembris Nepae frons exoritur; tempestatem

significat. Quinto Calendas Novembris Vergiliae occidunt; hiemat cum frigore & gelicidiis. Quarto Calendas Novemb. Arcturus vespere occidit; ventosus dies. Tertio Cal. & pridie Novemb. Cassiope incipit occidere; tempestatem significat. Per hos dies quaecunque semina differri debent, arbusculaeque omnis generis recte ponuntur. Ulmi quoque vitibus recte maritantur, ipsaeque vites in arbustis & vineis commode propagantur. Seminaria runcare & fodere tempus est, tum etiam arbores ablaqueare, nec minus vineas, easdemque putare, itemque in arbustis vitem deputare. Seminaria, quae suo tempore pampinata non sunt, arbusculaeque ficorum in seminariis putari, & ad singulos stilos redigi debent: quae tamen melius dum tenera sunt, per germinationem pampinantur. Sed cum omnia in agricultura strenue facienda sint, tum maxime sementis. Vetus est agricolarum proverbium, MATVRAM sationem saepe decipere solere, seram nunquam, quin mala sit. Itaque in totum praecipimus: ut quisque natura locus frigidus erit, is primus conseratur: ut quisque calidus, noviſſimus. Vicia & faba stercorare agrum dicuntur. Lupinum nisi in florem veteris, nihil agrum

sterco-

ſtercoraveris. ſed nec ulla res magis vacuis operariis aut ſeritur, aut conditur. Nam & primis temporibus ante aliam ſementim poteſt id obrui, & noviſſimis poſt coactos fructus tolli. Sementi facta inoccare oportet, quod ſparſeris. Duo jugera tres operae commode occabunt, arboreſque, quae intereunt, ablaqueabunt; quamvis antiqui ſingulis operis ſingula jugera ſarriri & occari velint: quod an recte fieri poſſit, affirmare non auſim. Eodem tempore foſſas rivoſque purgare, & elices ſulcoſque aquarios convenit facere. Iiſdem temporibus, ſi ſit, fraxineam; ſi minus, orneam; ſi nec haec ſit, iligneam frondem bubus recte praebebimus. Glandis quoque non inutile eſt ſingulis jugis modios ſingulos dare: nec tamen amplius, ne laborent, nec minus diebus xxx praebueris. Nam ſi paucioribus diebus detur, (ut ait Hyginus) per ver ſcabioſi boves fiunt. Glans autem paleis immiſcenda eſt, atque ita bubus apponenda. Tum etiam ſilvam, ſi quis barbaricam, id eſt, conſemineam velit facere, recte conſeret glandibus & caeteris ſeminibus. Tum & olea diſtringenda eſt, ex qua velis viride oleum efficere; quod ſit optimum ex varia oliva, cum incipit nigreſcere. Nam acerbum niſi

ex alba olea fieri non debet. Calendis Novembribus & postridie caput Tauri occidit; pluviam significat. III Non. Novembris Fidicula mane exoritur; hiemat & pluit. VIII Idus Novembris idem sidus totum exoritur, Auster vel Favonius; hiemat. VII Id. Novembris stella clara Scorpionis exoritur; significat tempestatem, hiemat; vel Vulturnus, interdum rorat. Sexto Idus Novembris Vergiliae mane occidunt, significat tempestatem; hiemat. Quinto Idus Novembris hiemis initium, Auster aut Eurus; interdum rorat. His diebus usque in Idus, quae superiore mense facere non potueris, adhuc tolerabiliter efficies. Sed & proprie hoc observabis, ut pridie, quam plenilunium sit; si minus, certe ipso plenilunio omnem, quam saturus es, fabam uno die spargas: sed postea licebit ab avibus & pecore defensam obruas: eamque, si ita competierit lunae cursus, ante Idus Novembris occatam habeas quam pinguissimo & novo loco: si minus, quam stercoratissimo. Satis erit in singula jugera vehes stercoris comparare numero decem & octo: vehes autem stercoris habet modios octoginta. ex quo colligitur, oportere in denos quoquoversus pedes, modios quinos

stercoris spargere. Quae ratio docet universo jugero satisfacere modios MCCCCXL. Tum etiam convenit oleas ablaqueare, & si sunt parum fructuosae, vel cacuminibus retorridae frondis, magnis arboribus quaternos modios stercoris caprini circumspergere, in caeteris autem pro magnitudine portionem servare: eodem tempore vineis ablaqueatis columbinum stercus ad singulas vites, quod sit instar unius sextarii, vel urinae hominis congios, vel alterius generis quaternos sextarios stercoris infundere. Jugerum vinearum, in senos pedes positarum, duae operae ablaqueant. Idibus Novemb. dies incertus, saepius tamen placidus. Septimodecimo Calend. Decemb. Aquilo, interdum Auster cum pluvia. Sextodecimo Cal. Decembris Fidis exoritur mane; Auster, interdum Aquilo magnus. Quintodecimo Calendas Decemb. Aquilo, interdum Auster cum pluvia. Quartodecimo Calendas Decembris sol in Sagittarium transitum facit; Suculae mane oriuntur, tempestatem significat. Duodecimo Calendas Decembris Tauri cornua vesperi occidunt; Aquilo frigidus & pluvia. Undecimo Calendas Decembris Sucula mane occidit, hiemat. Decimo Calend. Decembris Lepus occidit mane, tempestatem

significat. Septimo Calendas Decembris Canicula occidit solis ortu, hiemat. Pridie Calendas Decembris totae Suculae occidunt; Favonius aut Auster, interdum pluvia. His diebus, quae praeterita erunt superioribus, opera consequi oportet. Et, si non plurimum serimus, optimum est intra Calendas Decembris sementem confeciſſe. Sed etiam longis noctibus ad diurnum tempus aliquid adjiciendum est. Nam multa sunt, quae in lucubratione recte aguntur. Sive enim vineas possidemus, pali & ridicae possunt dolari, exacuique: sive regio ferulae vel corticis ferax est, apibus alvearia fieri debent: sive palmae spartive foecunda est, siscinae sportaeque: seu virgultorum, corbes ex vimine. Ac ne caetera nunc persequar, nulla regio non aliquid affert, quod ad lucubrationem confici possit. Nam inertis est agricolae expectare diei brevitatem, praecipue in iis regionibus, in quibus brumales dies horarum novem sunt, noctesque horarum quindecim. Possit etiam salix decisa pridie ad lucubrationem expurgari, & ad vitium ligamina praeparari; quae si natura minus lenta est, ante dies quindecim praecidenda & purgata in stercore obruenda est, ut lentescat. Sin autem jampridem caesa

exaruit, in piscina maceranda est. Tum etiam per lucubrationem ferramenta acuere, & ad ea facere, vel facta manubria aptare, quorum optima sunt ilignea, deinde carpinea, post haec fraxinea. Calendis Decembris dies incertus, saepius tamen placidus. Octavo Idus Decembris Sagittarius medius occidit; tempestatem significat. Septimo Idus Decembris Aquila mane oritur; Africus, interdum Auster, irrorat. Tertio Idus Decembris Corus, vel Septentrio, interdum Auster cum pluvia. His diebus, quae praeterita erunt superiore mense opera, peragi debebunt, utique in locis temperatis, aut calidis: nam frigidis recte fieri jam non possunt. Idibus Decemb. Scorpio totus mane exoritur; hiemat. Sextodecimo Calendas Januarii sol in Capricornum transitum facit; brumale solstitium, ut Hipparcho placet: itaque tempestatem saepe significat. XV Calendas Januarias [ventorum commutationem significat. X Calend. Januarias] Capra occidit mane, tempestatem significat. Nono Calendas Januarias brumale solstitium (sicut Chaldaei observant) significat. Sexto Calendas Januarias Delphinus incipit oriri mane; tempestatem significat. Quarto Calendas Januarias Aquila vespere occidit;

hiemat. Tertio Calendas Januarias Canicula vespere occidit; tempestatem significat. Pridie Calendas Januarias, tempestas ventosa. His diebus, qui religiosius rem rusticam colunt, nisi si vinearum causa pastines, negant debere terram ferro commoveri. Itaque quidquid citra id genus effici potest, id ab his comprehenditur, ut olea legatur & oleum conficiatur, ut vitis paletur & capite tenus alligetur, ut juga vineis imponantur & capistrentur. Caeterum palmare, id est materias alligare, hoc tempore non expedit, quia plurimae propter rigorem, qui fit ex frigore, franguntur. Possunt etiam his diebus cerasi, & tuberes, & Armeniacae atque amygdalae, caeteraeque arbores, quae primae florent, inseri commode. Nonnulli etiam legumina serunt. Calendis Januarii dies incertus. Tertio Nonas Januarii Cancer occidit; tempestas varia. Pridie Nonas Januarii media hiems; Auster multus, interdum pluvia. Non. Januariis Fidis exoritur mane; tempestas varia. Sexto Idus Jan. Auster, interdum Favonius. Quinto Idus Januar. Auster, interdum imber. Pridie Idus Januar. incertus status caeli. Per hos quoque dies abstinent terrenis operibus religiosiores agricolae, ita tamen ut ipsis Cal.

Januariis auſpicandi cauſa omne genus operis inſtaurent. Caeterum differant terrenam molitionem uſque in proximas Idus. Sed nec ignorare debebit villicus, quid uni jugo boum quoquo menſe per ſingulos dies praeſtari ſatis ſit. Quare hujus quoque curae rationem ſubjiciemus. Menſe Januario paleas cum ervi macerati ſextariis ſex, vel paleas cum cicerculae freſae ſemodio, vel frondis corbem pabulatorium modiorum viginti, vel paleas quantum velint, & foeni pondo viginti, vel affatim viridem frondem ex ilice vel lauro, vel quod his omnibus praeſtat, farraginem ordeaceam dabit ſiccam: Februario menſe idem, Martio idem, vel, ſi opus facturi ſunt, foeni pondo quinquaginta. Aprili frondem querneam & populneam. Ex Calend. ad Idus, vel paleas, vel foeni pondo quadraginta. Majo pabulum affatim: Junio ex Calend. frondem affatim: Julio idem, Auguſto idem, vel paleas ex arvo pondo quinquaginta. Septembri frondem affatim, Octobri frondem, & ficulnea folia. Novemb. ad Idus frondem vel folia ficulnea, quae ſint corbis unius. Ex Idibus glandis modium unum paleis immiſtum, & lupini macerati modium unum paleis immiſtum, vel maturam farraginem. Decemb.

frondem aridam, vel paleas cum ervi semodio macerato, vel lupini, quod ex semodio macerato exierit, vel glandis modium unum, ut supra scriptum est, vel farraginem.

Prosa de cultu hortorum, & herbis hortensibus.

Cap. III. Et quoniam percensuimus opera, quae suis quibusque temporibus anni villicum exequi oporteret, memores polliciti nostri subjungemus cultus hortorum, quorum aeque curam suscipere debebit, ut & quotidiani victus sui levet sumptum, & advenienti domino praebeat, quod ait poëta, inemptas ruris dapes. Democritus in eo libro, quem Georgicon appellavit, parum prudenter censet eos facere, qui hortis extruant munimenta, quod neque latere fabricata maceries perennare possit, pluviis ac tempestatibus plerumque infestata, neque lapides supra rei dignitatem poscat impensa. Si vero amplum modum sepire quis velit, patrimonio esse opus. Ipse igitur ostendam rationem, qua non magna opera hortum ab incursu hominum pecudumque munimus. Vetustissimi auctores vivam sepem structili praetulerunt, quia non solum minorem impensam desideraret, verum etiam diuturnior immensis temporibus permaneret: itaque vepres efficiendi consitis

spinis rationem talem reddiderunt. Locus, quem sepire destinaveris, ab aequinoctio autumnali, simulatque terra maduerit imbribus, circumvallandus est duobus sulcis tripedaneo spatio inter se distantibus. Modum altitudinis & latitudinis eorum abunde est esse bipedaneum: sed eos vacuos perhiemare patiemur praeparatis seminibus, quibus obserantur. Ea sint vastissimarum spinarum, maximeque rubi & paliuri, & ejus quam Graeci vocant πυνόσβατον, nos sentem canis appellamus. Horum autem ruborum semina quam maturissima eligi oportet, & ervi moliti farinae immiscere: quae cum est aqua consperſa, illinitur vel nauticis veteribus funibus, vel quibuslibet aliis restibus. Siccati deinde funiculi reponuntur in tabulato: mox ubi bruma confecta est, intermissis quadraginta diebus, circa hirundinis adventum, cum jam Favonius exoritur, post Idus Febr. si qua in sulcis per hiemem constitit aqua, exhauritur, resolutaque humus, quae erat autumno regesta, usque ad mediam sulcorum altitudinem reponitur. Praedicti deinde funes de tabulato prompti explicantur, & in longitudinem per utrumque sulcum porrecti obruuntur, sed ita, ut non nimium supergesta terra

semina spinarum, quae inhaerent toris funiculorum, enasci possint. Ea fere circa trigesimum diem prorepunt: atque ubi coeperunt aliquod incrementum habere, sic insuesci debent, ut in id spatium, quod sulcis interjacet, inclinentur. Oportebit autem virgeam sepem interponere, quam supersendant sentes utriusque sulci, & sit, quo interdum quasi adminiculo, priusquam corroborentur, acquiescant. Hunc veprem manifestum est interimi non posse, nisi radicitus effodere velis. Caeterum etiam post ignis injuriam melius renasci, nulli dubium est. Et haec quidem claudendi horti ratio maxime est antiquis probata. Locum autem [prius] eligi conveniet, si permittit agri situs, juxta villam, praecipue pinguem, quique adveniente rivo, vel si non sit fluens aqua, fonte puteali possit irrigari. Sed ut certam perennitatis puteus habeat fidem, tum demum effodiendus est, cum sol ultimas partes Virginis obtinebit, id est, mense Septemb. ante aequinoctium autumnale: siquidem tunc maxime explorantur vires fontium, cum ex longa siccitate aestatis terra caret humore pluviali. Providendum est autem, ne hortus areae subjaceat, ne per trituram venti possint paleas aut pulverem in eum perferre:

nam utraque sunt oleribus inimica. Mox inordinandi pastinandique soli duo sunt tempora: quoniam duae quoque olerum sationes: nam & autumno & vere plurima seruntur; melius tamen vere riguis locis, quoniam & nascentis anni clementia excipit prodeuntia semina; & sitis aestatis restinguitur fontibus. At ubi loci natura neque manu illatam, neque suae spontis aquam ministrari patitur, nullum quidem aliud auxilium est, quam hiemales pluviae. Potest tamen etiam in siccissimis locis opus custodiri, si depressius pastinetur solum: ejusque abunde est gradum effodere tribus pedibus, ut in quatuor consurgat regestum. At ubi copia est rigandi, satis erit non alto bipalio, id est, minus quam duos pedes ferramento novale converti. Sed curabimus, ut ager, quem vere conseri oportet, autumno circa Calend. Novemb. pastinetur: quem deinde velimus autumno instituere, mense Majo convertemus, ut aut hiemis frigoribus, aut aestivis solibus & gleba solvatur, & radices herbarum necentur: nec multo ante stercorare debebimus: & cum sationis appropinquabit tempus, ante quintum diem exherbandus erit locus, stercoranduſque, & ita diligenter fossione iterandus, ut

simo terra commisceatur. Optimum vero stercus est ad hunc usum asini, quia minimum herbarum creat: proximum vel armenti, vel ovium, si sit anno maceratum: nam quod homines faciunt, quamvis habeatur excellentissimum, non tamen necesse est adhibere, nisi aut nudae glareae, aut sine ullo robore solutissimae arenae, cum major scilicet vis alimenti desideratur. Igitur solum, quod vere conferere destinaverimus, post autumnum patiemur effossum jacere brumae frigoribus & pruinis inurendum: quippe e contrario sicut calor aestatis, ita vis frigoris excoquit terram, fermentatamque solvit. Quare peracta bruma tum demum stercus injicietur, & circa Idus Januarias humus refossa in areas dividitur; quae tamen sic informandae sunt, ut facile runcantium manus ad dimidiam partem latitudinis earum perveniant, ne, qui prosequuntur herbas, semina proculcare cogantur: sed potius per semitas ingrediantur, & alterna vice dimidias areas eruncent. Haec, quae ante sationem facienda sunt, dixisse abunde est. Nunc quid quoque tempore vel colendum, vel serendum sit, praecipiamus: & primum de his generibus loquendum est, quae possunt duobus seri temporibus, id est, au-

tumno & vere. Sunt autem semina brassicae & lactucae, cinarae, erucae, nasturcii, coriandri, chaerephylli, anethi, pastinacae, siseris, papaveris: haec enim vel circa Calend. Septembres, vel melius ante Calendas Martias Februario seruntur. Locis vero siccis, aut tepidis, qualia sunt Calabriae & Appuliae maritima, possunt circa Idus Januarias terrae committi. Rursus quae tantum autumno conseri debent (si tamen vel maritimum, vel apricum agrum incolimus) haec fere sunt, allium, cepae capitula, ulpicum, sinapis. Sed etiam nunc quo quidque tempore terrae mandari plerumque conveniat, per menses digeramus. Ergo post Calend. Januarias confestim recte ponetur lepidium. Mense autem Februario vel planta vel semine ruta, atque asparagus, & iterum cepae semen & porri: nec minus si vernum & aestivum fructum voles habere, syriacae radicis & rapae napique semina obrues. Nam allii & ulpici ultima est hujus temporis positio. At circa Calendas Martii locis apricis licet porrum (si jam ingranduit) transferre. Item panacem ultima parte Martii mensis. Deinde circa Calendas Apriles aeque porrum atque inulam, & serotinam plantam rutae. Item ut maturius

naſcatur, cucumis, cucurbita, capparis, ſerenda eſt. Nam ſemen betae, cum Punicum malum florebit, tum demum optime feritur. Porri autem caput circa Idus Majas tolerabiliter adhuc transfertur. Poſt hoc, nihil ingruente aeſtate obrui debet, niſi ſemen apii, ſi tamen rigaturus es. Sic enim optime per aeſtatem provenit. Caeterum Auguſto circa Vulcanalia tertia ſatio eſt: eaque optima radicis & rapae, itemque napi & ſiſeris, nec minus oleris atri. atque haec ſunt ſationum tempora. Nunc de iis, quae aliquam curam deſiderant, ſingulis loquar, quaeque praeteriero intelligi oportebit nullam operam poſtulare niſi runcatoris: de qua ſemel hoc dicendum eſt, omni tempore conſulendum eſſe, ut herbae exterminentur. Ulpicum, quod quidam allium Punicum vocant, Graeci autem ἀφροσκόροδον appellant, longe majoris eſt incrementi quam allium: idque circa Calendas Octobris, antequam deponatur, ex uno capite in plura dividetur. Habet enim velut allium plures cohaerentes ſpicas, eaeque cum ſint diviſae, liratim ſeri debent, ut in pulvinis poſitae minus infeſtentur hiemis aquis. Eſt autem lira ſimilis ei porcae, quam in ſationibus campeſtribus ruſtici faciunt, ut uli-

ginem vitent: sed haec in hortis minor est facienda, & per summam partem ejus, id est, in dorso inter palmaria spatia, spicae ulpici vel allii (nam id quoque similiter conseritur) disponendae sunt. Sulci lirarum inter se distent semipedali spatio. Deinde cum ternas fibras emiserunt spicae, sarriantur. Nam quo saepius id factum est, majus semina capiunt incrementum. Deinde ante quam caulem faciant, omnem viridem superficiem intorquere, & in terram prosternere conveniet, quo vastiora capita fiant. Regionibus autem pruinosis neutrum horum per autumnum seri debet: nam brumali tempore corrumpuntur: quod fere mense Januario mitescit: & idcirco frigidis locis tempus optimum est allium vel ulpicum ponendi circa Idus praedicti mensis. Sed quandocunque vel conseremus, vel jam matura in tabulatum reponemus, servabimus in iis locis, quibus aut obruentur, aut eruentur, ut luna infra terram sit. Nam sic sata, & rursus sic recondita, existimantur neque acerrimi saporis existere, neque mandentium halitus inodorare. Multi tamen haec ante Calend. Januarias mediis diebus serunt mense Decembri, si caeli tepor & situs terrae permittit. Brassica, cum VI foliorum erit, trans-

ferri debet, ita ut radix ejus liquido fimo prius illita, & involuta tribus algae taeniolis pangatur. Haec enim res efficit, ut in cortura celerius madefcat & viridem colorem fine nitro confervet. Eft autem frigidis & pluviis regionibus pofitio ejus optima poft Idus Aprilis; cujus depreffae plantae cum tenuerint, quantum olitoris ratio patitur, faepius farrita & ftercorata melius convalefcit, plenioriſque incrementi & coliculum facit, & cymam. Nonnulli hanc eandem locis apricioribus a Calend. Martiis deponunt: fed major pars ejus in cymam profilit, nec poftea hibernum caulem amplum facit, cum eft femel defecta. Poſſis autem vel maximos caules bis transferre. Idque fi facias, plus feminis & majoris incrementi praebere dicuntur. Lactuca totidem foliorum, quot braffica, transferri debet. Locis quidem apricis & maritimis optime autumno ponitur, mediterraneis & frigidis contra: hieme non aeque commode diſpergitur. Sed hujus quoque radix fimo liniri debet, majoremque copiam defiderat aquae, ficque fit tenerioris folii. Sunt autem complura lactucae genera, quae fuo quoque tempore feri oportet: earum, quae fufci & veluti purpurei, aut etiam viridis coloris,

&

& crispi folii, uti Caeciliana, mense Januar. recte differitur. At Cappadocia, quae pallido & pexo densoque folio viret, mense Februario: quae deinde candida est, & crispissimi folii, ut in provincia Baetica & finibus Gaditani municipii, mense Mart. recte pangitur. Est & Cyprii generis ex albo rubicunda, levi & tenerrimo folio, quae usque in Idus April. commode disponitur. Fere tamen aprico caeli statu, quibus locis aquarum copia est, pene toto anno lactuca seri potest: quae quo tardius caulem faciat, cum aliquod incrementum habuerit, exiguam testam media parte accipiat, eo quasi onere coercita in latitudinem se diffundit. Eadem est ratio etiam intybi, nisi quod hiemem magis sustinet: ideoque vel frigidis regionibus primo autumno seri potest. Cinarae sobolem melius per autumni aequinoctium disponemus; semen commodius circa Calendas Martii seremus; ejusque plantam circa Calendas Novemb. deprimemus, & multo cinere stercorabimus. Id enim genus stercoris huic oleri videtur aptissimum. Sinapi atque coriandrum, nec minus eruca & ocimum, ita uti sata sunt, sua sede immota permanent: neque est eorum cultus alius, quam ut stercorata runcentur.

Possunt autem non solum autumno, sed & vere conseri. Plantae quoque sinapis prima hieme translatae plus cymae vere afferunt. Panax utroque tempore levi & subacta terra rarissime differitur, quo majus incrementum capiat: melius tamen ejus verna satio est. Porrum si sectivum facere velis, densius satum praeceperunt priores relinqui: & ita cum increverit, secari. Sed nos docuit usus longe melius fieri, si differas, & eodem more, quo capitatum modicis spatiis, id est, inter quaternos digitos depangas, & cum convaluerit, deseces. In eo autem, quod magni capitis efficere voles, servandum est, ut ante quam translatum deponas, omnes radiculas amputes, & fibrarum summas partes intondeas. Tum testulae, vel conchae, quasi sedes in singulis subjectae seminibus abobruuntur, ut fiant capita latioris incrementi. Cultus autem porri capitati assidua sarritio & stercoratio est. Nec alius tamen sectivi, nisi quod toties rigari & stercorari, sarririque debet, quoties demetitur. Semen ejus locis calidis mense Januario, frigidis Februario seritur: cujus incrementum quo majus fiat, raris linteolis complura grana illigantur, atque ita obruuntur. Enatum autem in iis locis, qui-

bus aqua ſubminiſtrari non poteſt, differri debet circa aequinoctium autumni: at quibus poſſis humorem praebere, menſe Majo recte transfertur. Apium quoque poſſis plantis ſerere, nec minus ſemine; ſed praecipue aqua laetatur, & ideo ſecundum fontem commodiſſime ponitur. Quod ſi quis id velit lati folii facere, quantum ſeminis poſſint tres digiti comprehendere, raro linteolo illiget, & ita in areolas diſpoſitum releget. Vel ſi criſpae frondis id fieri maluerit, ſemen ejus inditum pilae, & ſaligneo palo pinſitum, expoliatumque, ſimiliter in linteolis ligatum obruet. Poteſt etiam citra hanc operam fieri criſpum qualitercunque ſatum, ſi, cum eſt natum, incrementum ejus ſupervoluto cylindro coërceas. Satio ejus eſt optima poſt Idus Majas uſque in ſolſtitium: nam teporem deſiderat. Fere etiam his diebus ocima ſeruntur: quorum cum ſemen obrutum eſt, diligenter inculcatur pavicula, vel cylindro. Nam ſi terram ſuſpenſam relinquas, plerumque corrumpitur. Paſtinaca & ſiſer, atque inula, convaleſcunt alte paſtinato & ſtercorato loco: ſed quam rariſſime ponenda ſunt, ut majora capiant incrementa. Inulam vero intervallo trium pedum ſeri convenit, quo-

niam vastos facit frutices & radicibus, ut oculus harundinis, serpit. Nec est alius cultus horum omnium, nisi ut sarritionibus herbae tollantur. Commodissime autem deponentur prima parte Septembris, vel ultima Augusti parte. Atrum olus, quod Graecorum quidam vocant ἱπποσέλινον, nonnulli σμύρνιον, pastinato loco semine debet conseri, maxime juxta maceriam: quoniam & umbra gaudet, & qualicunque convalescit loco: idque cum semel severis, si non totum radicitus tollas, sed alternos frutices in semen submittas, aevo manet, parvamque sarritionis exigit culturam. Seritur a Vulcanalibus usque in Calendas Septembris, sed etiam mense Januario. Menta dulcem desiderat uliginem; quam ob causam juxta fontem mense Martio recte ponitur. Cujus si forte semina defecerunt, licet de novalibus silvestre mentastrum colligere, atque ita inversis cacuminibus disponere: quae res feritatem detrahit, atque edomitam reddit. Rutam autumno semine satam mense Martio differre oportet in apricum, & cinerem aggerare, runcarique donec convalescat, ne herbis enecetur. Sed velata manu debebit runcari: quam nisi contexeris, pernicioſa nascuntur ulcera. Si tamen per

ignorantiam nuda manu runcaveris, & prurigo atque tumor inceſſerit, oleo ſubinde perungito. Ejuſdem frutex pluribus annis permanet innoxius, niſi ſi mulier, quae in menſtruis eſt, contigerit eum, & ob hoc exaruerit. Thymum, & tranſmarina cunila, & ſerpyllum, ſicut priore libro jam retuli, magis alvearia curantibus, quam olitoribus ſtudioſe conſeruntur. Sed nos ea condimentorum cauſa (nam ſunt quibuſdam eſculentis aptiſſima) non alienum putamus etiam in hortis habere. Locum neque pinguem, neque ſtercoratum, ſed apricum deſiderant, ut quae macerrimo ſolo per ſe maritimis plerumque regionibus naſcuntur. Hae res & ſemine, & plantis circa aequinoctium vernum ſeruntur. Melius tamen eſt thymi novellas plantas diſponere; quae cum ſubacto ſolo depreſſae fuerint, ne tarde comprehendant, aridi thymi fruticem contundi oportet, atque ita pinſito pridie quam volueris uti, aquam medicare; quae cum ſuccum ejus perceperit, depoſitis fruticibus infunditur, donec eos recte confirmet. Caeterum cunila vivacior eſt, quam ut impenſius curanda ſit. Lepidium cum ante Cal. Martias habueris diſpoſitum, velut porrum ſectivum demetere poteris: rarius ta-

men. Nam post Cal. Novemb. secandum non erit, quoniam frigoribus violatum emoritur: biennio tamen sufficiet, si diligenter sarritum & stercoratum fuerit. Multis etiam locis vivacitatem suam usque in annos decem prorogat. Beta florente Punico malo semine obruitur, & simul atque quinque foliorum est, ut brassica, differtur aestate, si riguus est hortus: at si siccaneus, autumno, cum jam pluviae incesserint, disponi debebit. Chaerephyllum, itemque olus atriplicis, quod Graeci vocant ἀτράφαξυν, circa Calend. Octob. obrui oportet non frigidissimo loco. Nam si regio saevas hiemes habet, post Idus Februarias semina differenda sunt, suaque de sede partienda. Papaver & anethum eandem habent conditionem sationis, quam chaerephyllum & ἀτράφαξυς. Sativi asparagi, & quam corrudam rustici vocant, semina fere biennio praeparantur. Ea cum pingui & stercoroso solo post Idus Februarias sic obrueris, ut quantum tres digiti seminis comprehendere queunt, singulis fossulis deponas, fere post quadragesimum diem inter se implicantur, & quasi unitatem faciunt; quas radiculas sic illigatas atque connexas olitores spongias appellant. Easque post quatuor & viginti men-

ſes in locum apricum & bene madidum, ſtercoratumque transferri convenit. Sulci autem inter ſe pedali menſura diſtantes fiunt non amplius dodrantalis altitudinis, in quam ita ſpongiolae deprimuntur, ut facile ſuperpoſita terra germinent. Sed in locis ſiccis partibus ſulcorum imis diſponenda ſunt ſemina, ut tanquam in alveolis maneant. At uliginoſis e contrario in ſummo porcae dorſo collocanda, ne humore nimio laedantur. Primo deinde anno, cum ita conſita ſunt, aſparagum, quem emiſerint, infringi oportet. Nam ſi ab imo vellere volueris, adhuc teneris invalidiſque radiculis, tota ſpongiola ſequetur. Reliquis annis non erit decerpendus, ſed radicitus vellendus. Nam niſi ita fiat, ſtirpes praefractae angunt oculos ſpongiarum, & quaſi excaecant, nec patiuntur aſparagum emittere. Caeterum ſtilus, qui noviſſime autumnali tempore naſcitur, non omnis eſt tollendus, ſed aliqua pars ejus in ſemen ſubmittenda eſt. Deinde cum ſpinam fecerit, collectis ſeminibus ipſis, ſcopiones ita uti ſunt, in ſuo loco perurendi ſunt, & deinde ſulci omnes conſarriendi, herbaeque eximendae; mox vel ſtercus, vel cinis injiciendus, ut tota hieme ſuccus ejus pluviis manans ad radicem per-

veniat. Vere deinde prius quam coeperit germinare, capreolis, quod genus bicornis ferramenti est, terra commoveatur, ut & facilius stilus emicet, & relaxa humo plenioris crassitudinis fiat [radix]. Raphani radix bis anno recte seritur, Februario mense, cum vernum fructum expectamus, & Augusto mense circa Vulcanalia, cum maturius. Sed haec satio sine dubio melior habetur. Cura est ejus, ut terra stercorata & subacta obruatur: post ubi ceperit aliquod incrementum, subinde aggeretur. Nam si super terram emerserit, dura & fungosa fiet. Cucumis & cucurbita, cum copia est aquae, minorem curam desiderant: nam plurimum juvantur humore. Sin autem sicco loco seri debuerint, quo rigationem ministrari non expediat, mense Februario sesquipedali altitudine sulci faciendi sunt. Post Idus deinde Martias, quasi tertia pars altitudinis sulci stramentis inditis tegenda, mox stercorata terra usque in dimidium sulcum aggerenda, positisque seminibus tam diu est aqua praebenda, donec enascantur: atque ubi convalescere coeperint, adjecta humo incrementa eorum prosequenda sunt, donec sulcus coaequetur. Si exculta semina sine rigatione tota aestate satis vale-

bunt, fructumque jucundioris saporis, quam rigua praebebunt. Aquosis autem locis primo quoque tempore, non tamen ante Calend. Mart. semen ponendum est, ut deferri possit aequinoctio confecto. Idque de media parte cucurbitae semen inverso cacumine ponito, ut fiat incrementi vastioris. Nam sunt ad usum vasorum satis idoneae, sicut Alexandrinae cucurbitae, cum exaruerint. At si esculentae merci praeparabis, recto cacumine de collo cucurbitae sumptum semen serendum erit, quod prolixior & tenuior fructus ejus enascatur, qui scilicet majus caeteris invenit pretium. Sed custodiendum est, ut quam minime ad eum locum, in quo vel cucumis, aut cucurbitae consitae sunt, mulier admittatur. Nam fere contactu ejus languescunt incrementa virentium. Si vero etiam in menstruis fuerit, visu quoque suo novellos foetus necabit. Cucumis tener & jucundissimus sit, si ante quam seras, semen ejus lacte maceres. Nonnulli etiam quo dulcior existat, aqua mulsa idem faciunt. Sed qui praematurum fructum cucumeris habere volet, confecta bruma stercoratam terram inditam cophinis obserat, modicumque praebeat humo-

rem. Deinde cum enata semina fuerint, tepidis diebus, & insolatis juxta aedificium sub divo ponat, ita ut ab omni afflatu protegantur. Caeterum frigoribus ac tempestatibus sub tectum referat: idque tamdiu faciat, dum aequinoctium vernum conficiatur. Postea totos cophinos demittat in terram. Sic enim praecoquem fructum habebit. Possunt etiam, si sit operae pretium, vasis majoribus rotulae subjici, quo minore labore producantur, & rursus intra tecta recipiantur. Sed nihilo minus specularibus integi debebunt, ut etiam frigoribus serenis diebus tuto producantur ad solem. Hac ratione fere toto anno Tiberio Caesari cucumis praebebatur. Nos autem leviore opera istud fieri apud Aegyptiae gentis Bolum Mendesium legimus, qui praecipit aprico & stercoroso loco alternis ordinibus ferulas, alternis rubos in hortis consitas habere: deinde eas confecto aequinoctio paullulum infra terram secare, & ligneo stilo laxatis vel rubi vel ferulae medullis stercus immittere, atque ita semina cucumeris inserere, quae scilicet incremento suo coeant rubis & ferulis. Nam ita non sua, sed quasi materna radice aluntur: sicque in-

sitam stirpem frigoribus quoque cucumeris praebere fructum. Satio secunda ejus seminis fere Quinquatribus observatur. Capparis plurimis provinciis sua sponte novalibus nascitur. Sed quibus locis ejus inopia est, si serenda fuerit, siccum locum desiderabit. Isque debebit ante circumdari fossula, quae repleatur lapidibus & calce, vel Punico luto, ut sit quasi quaedam lorica, ne possint eam perrumpere praedicti seminis frutices, qui fere per totum agrum vagantur, nisi munimento aliquo prohibiti sint. Quod tamen non tantum incommodum est (subinde enim possunt extirpari) quantum, quod noxium virus habent, succoque suo sterile solum reddunt. Cultu aut nullo, aut levissimo contenta est. Quippe quae res etiam in desertis agris citra rustici operam convalescit. Seritur utroque aequinoctio. Cepina magis frequenter subactam postulat terram, quam altius conversam. Itaque ex Calendis Novembris proscindi solum debet, ut hiemis frigoribus & gelicidiis putrescat, intermissisque quadraginta diebus, tum demum iterari, & interpositis uno ac viginti diebus tertiari, ac protinus stercorari: mox bidentibus aequaliter perfossum in

areas disponi, deletis radicibus omnibus. Deinde ad Calendas Februarias sereno die conveniat semina spargi: quibus aliquod satureiae semen intermiscendum erit, ut eam quoque habeamus. Nam & viridis esui est jucunda, nec arida inutilis ad pulmentaria condienda. Sed cepina vel saepius, certe non minus debet quam quater sarriri. Cujus si semen excipere voles, capita maxima generis Ascalonii, quod est optimum, mense Februario disponito, quaternorum, vel etiam quinum digitorum spatiis distantia: & cum coeperint virere, ne minus ter consarrito: deinde cum fecerint caulem, humilioribus quasi canteriolis interpositis rigorem stilorum conservato. Nam nisi arundines transversas in modum jugatae vineae crebras dispoſueris, thalli ceparum ventis prosternentur, totumque semen excutietur: quod scilicet non ante legendum est, quam cum matureſcere coeperit, coloremque nigrum habere. Sed nec patiendum est, ut perareſcat, aut totum decidat, verum integri thalli vellendi sunt, & sole siccandi. Napus & rapa duas sationes habent, & eandem culturam, quam raphanus. Melior est tamen satio mensis Au-

gusti. Jugerum agri quatuor sextarios seminis eorum poscit, sed ita ut radicis Syriacae super hanc mensuram paullo plus, quam heminam seminis recipiat. Qui aestate ista seret, caveat, ne propter siccitates culex adhuc tenera folia prorepentia consumat. Id quoque ut vitetur, pulvis [etiam], qui supra cameram invenitur, vel etiam fuligo, quae supra focos tectis inhaeret, colligi debet: deinde pridie quam satio fiat, commisceri cum seminibus, & aqua conspergi, ut tota nocte succum trahant. Nam sic macerata postero die recte seruntur. Veteres quidam auctores, ut Democritus, praecipiunt, semina omnia succo herbae, quae sedum appellatur, medicare, eodemque remedio adversus bestiolas uti: quod verum esse nos experientia docuit. Sed frequentius tamen, quoniam hujus herbae minus larga est facultas, fuligine & praedicto pulvere utimur, satisque commode tuemur his incolumitatem plantarum. Rapae semina Hyginus putat post trituram jacentibus adhuc in area paleis inspergi debere, quoniam fiunt vastiora capita, cum subjacens soli duritia non patitur in altum descendere. Nos istud saepe frustra

tentavimus: itaque rapum, & raphanum, & napum melius existimamus subacta terra obrui. Servantque adhuc antiquorum consuetudinem religiosiores agricolae, qui cum ea serunt, precantur, ut & sibi, & vicinis nascantur. Locis frigidis, ubi timor est, ne autumnalis satio hiemis gelicidiis peruratur, arundinibus humiles canterii fiunt, iisque virgae transversae imponuntur, & virgis stramenta supra jaciuntur, & sic a pruinis semina defenduntur. Ubi vero apricis regionibus post pluvias noxia incesserunt animalia, quae a nobis appellantur erucae, Graece autem κάμπαι nominantur, vel manu colligi debent, vel matutinis temporibus frutices olerum concuti. Sic enim dum adhuc torpent nocturno frigore, si deciderint, non amplius in superiorem partem prorepunt. Id tamen supervacuum est facere, si ante sationem semina, uti jam praedixi, succo herbae sedi macerata sunt. Nihil enim sic medicatis nocent erucae. Sed Democritus in eo libro, qui Graece inscribitur περὶ ἀντιπαθῶν, affirmat, has ipsas bestiolas enecari, si mulier, quae in menstruis est, solutis crinibus & nudo pede unamquamque aream ter circumeat: post

hoc enim decidere omnes vermiculos, & ita emori. Hactenus praecipiendum existimavi de cultu hortorum, & officiis villici; quem quamvis instructum, atque eruditum omni opere rustico esse oportere, prima parte hujus exordii censuerim; quoniam tamen plerumque evenit, ut eorum, quae didicerimus, memoria nos deficit, eaque saepius ex commentariis renovanda sint, omnium librorum meorum argumenta subjeci, ut cum res exegisset, facile reperiri possit, quid in quoque quaerendum, & qualiter quidque faciendum sit.

L. J. M. COLVMELLAE
DE
RE RVSTICA
LIBER DVODECIMVS ET VLT.
VILLICA

PRAEFATIO

XENOPHON Athenienſis eo libro, P. Silvine, qui Oeconomicus inſcribitur, prodidit maritale conjugium ſic comparatum eſſe natura, ut non ſolum jucundiſſima, verum etiam utiliſſima vitae ſocietas iniretur: quod jam pridem etiam Cicero ait: & ne genus humanum temporis longinquitate occideret, propter hoc marem cum foemina eſſe conjunctum: deinde ut ex hac eadem ſocietate mortalibus adjutoria ſenectutis, nec minus propugnacula, praepararentur. Tum etiam, cum victus & cultus humanus non uti feris in propatulo, ac ſilveſtribus locis, ſed domi ſub tecto accurandus erat, neceſſarium fuit alterutrum foris & ſub dio eſſe, qui labore & induſtria compararet; intus, qui tectis reconderet atque cuſtodiret. Siquidem vel ruſticari, vel navigare, vel etiam alio genere nego-

negotiari neceſſe erat, ut aliquas facultates acquireremus. Cum vero paratae res ſub tectum eſſent congeſtae, alium eſſe oportuit, qui & illatas cuſtodiret, & caetera conficeret opera, quae domi deberent adminiſtrari. Nam & fruges, & caetera alimenta terreſtria indigebant tecto, & ovium, caeterarumque pecudum foetus, atque fructus clauſo cuſtodienda erant, nec minus reliqua utenſilia, quibus aut alitur hominum genus, aut etiam excolitur. Quare cum & operam & diligentiam ea, quae propoſuimus, deſiderarent, nec exigua cura foris acquirerentur, quae domi cuſtodiri oporteret: jure, ut dixi, a natura comparata eſt opera mulieris ad domeſticam diligentiam, viri autem ad exercitationem forenſem & extraneam. Itaque viro calores & frigora perpetienda, tum etiam itinera, & labores pacis ac belli, id eſt, ruſticationis & militarium ſtipendiorum, diſtribuit: mulieri deinceps, quod omnibus his rebus eam fecerat inhabilem, domeſtica negotia curanda tradidit. Et quoniam hunc ſexum cuſtodiae & diligentiae aſſignaverat: idcirco timidiorem reddidit, quam virilem. Nam metus plurimum confert ad diligentiam cuſtodiendi. Quod autem neceſſe erat foris & in aperto

victum quaerentibus nonnunquam injuriam propulsare: idcirco virum, quam mulierem fecit audaciorem. Quia vero partis opibus aeque fuit opus memoria & diligentia, non minorem foeminae, quam viro earum rerum tribuit possessionem. Tum etiam quod simplex natura non omneis res commodas amplecti volebat, idcirco alterum alterius indigere voluit: quoniam quod alteri deest, praesto plerumque est alteri. Haec in oeconomico Xenophon, & deinde Cicero, qui eum Latinae consuetudini tradidit, non inutiliter differuerunt. Nam & apud Graecos, & mox apud Romanos usque in patrum nostrorum memoriam, fere domesticus labor matronalis fuit, tanquam ad requiem forensium exercitationum omni cura depositа patribusfamilias intra domesticos penates se recipientibus. Erat enim summa reverentia cum concordia & diligentia mista, flagrabatque mulier pulcherrima diligentiae aemulatione, studens negotia viri cura sua majora atque meliora reddere. Nihil conspiciebatur in domo dividuum, nihil quod aut maritus, aut foemina proprium esse juris sui diceret: sed in commune conspirabatur ab utroque, ut cum forensibus negotiis, matronalis sedulitas industriae ratio-

nem parem faceret. Itaque nec villici quidem, aut villicae magna erat opera, cum ipsi domini quotidie negotia sua revisèrent atque administrarent. Nunc vero cum pleraeque sic luxu & inertia diffluant, ut ne lanificii quidem curam suscipere dignentur, sed domi [sedentes] confectas vestes fastidio habeant, perversaque cupidine pretiosiores alias a viris pelliciant, quae grandi pecunia, & totis pene censibus redimuntur: nihil mirum est, easdem ruris & instrumentorum agrestium cura gravari, sordidissimumque negotium ducere paucorum dierum tempus in villa morari. Quam ob causam cum in totum non solum exoleverit, sed etiam occiderit vetus ille matrumfamiliarum mos Sabinarum atque Romanarum, necessaria irrepsit villicae cura, quae tueretur officia matronae: quoniam & villici quoque successerunt in locum dominorum, qui quondam prisca consuetudine non solum coluerant, sed habitaverant rura. Verum, ne videar intempestive censorium opus objurgandis moribus nostrorum temporum suscepisse, jam nunc officia villicae prosequar.

CAPVT I.

Cura rei domesticae & praecepta, quae villica exequi debeat.

EA porro (ut institutum ordinem teneamus, quem priore volumine inchoavimus) juvenis esse debet, id est, non nimium puella, propter easdem causas, quas de aetate villici retulimus: integrae quoque valetudinis, nec foedi habitus, nec rursus pulcherrimi. Nam illibatum robur & vigiliis, & aliis sufficiet laboribus: foeditas fastidiosum, nimia species desidiosum faciet ejus contubernalem. Itaque curandum est, ut nec vagum villicum, & aversum contubernio suo habeamus, nec rursus intra tecta desidem, & complexibus adjacentem foeminae. Sed nec haec tantum, quae diximus, in villica custodienda sunt. Nam in primis considerandum erit, an a vino, ab escis, a superstitionibus, a somno, a viris remotissima sit, & ut cura eam subeat, quid meminisse, quid in posterum prospicere debeat, ut fere eum morem servet, quem villico praecepimus: quoniam pleraque similia esse debent in viro atque foemina, & tam [etiam] malum vitare, quam praemium recte factorum sperare. Tum elaborare, ut quam

minimam operam villicus intra tectum impendat, cui & primo mane cum familia prodeundum est, & crepusculo peractis operibus fatigato redeundum. Nec tamen instituendo villicam, domesticarum rerum villico remittimus curam, sed tantummodo laborem ejus, adjutrice data, levamus. Caeterum munia, quae domi capessenda, non in totum muliebri officio relinquenda sunt, sed ita deleganda ei, ut identidem oculis villici custodiantur. Sic enim erit diligentior villica, si meminerit ibi esse, cui ratio frequenter reddenda sit. Ea porro persuasissimum habere debebit, aut in totum, aut certe plurimum domi se morari oportere: tum quibus aliquid in agro faciendum erit servis, eos foras emittere; quibus autem in villa quid agendum videbitur, eos intra parietes continere atque animadvertere, ne diuturna cessatione frustrentur opera: quae domum autem inferuntur, diligenter inspicere, ne delibata sint, & ita explorata atque inviolata recipere: tum separare, quae consumenda sunt, & quae superfieri possunt, custodire, ne sumptus annuus menstruus fiat. Tum si quis ex familia coeperit adversa valetudine affici, videndum erit, ut is quam commodissime ministretur.

Nam ex hujusmodi cura nascitur benevolentia, nec minus obsequium. Quin etiam fidelius quam prius servire studeant, qui convaluerint, cum est aegris adhibita diligentia.

Quemadmodum tractare debeat penora sive cellaria.

Cap. II. Post haec meminisse debebit, quae inferantur, ut idoneis & salubribus locis recondita sine noxa permaneant. Nihil enim magis curandum est, quam praeparare, ubi quidque reponatur, ut cum opus sit, promatur. Ea loca qualia esse debeant, & in primo volumine, cum villam constitueremus, & in undecimo, cum de officio villici disputaremus, jam dicta sunt. Sed ne nunc quidem demonstrare breviter pigebit. Nam quod excelsissimum est conclave, pretiosissima vasa & vestem desiderat: quod denique horreum siccum atque aridum, frumentis habetur idoneum: quod frigidum, commodissime vinum custodit: quod bene illustre, fragilem supellectilem, atque ea postulat opera, quae multi luminis indigent. Praeparatis igitur receptaculis, oportebit suo quidque loco generatim, atque etiam specialiter nonnulla disponere: quo facilius, cum quid expostulabit usus, recipere possit. Nam vetus est proverbium,

paupertatem certissimam esse, cum alicujus indigeas, uti eo non posse, quia ignoretur, ubi projectum jaceat, quod desideratur. Itaque in re familiari LABORIOSIOR est negligentia, quam diligentia. Quis enim dubitet nihil esse pulchrius in omni ratione vitae dispositione atque ordine? quod etiam ludicris spectaculis licet saepe cognoscere. Nam ubi chorus canentium non ad certos modos, neque numeris praeeuntis magistri consensit, dissonum quiddam ac tumultuosum audientibus canere videtur: at ubi certis numeris ac pedibus velut facta conspiratione consensit atque concinuit, ex ejusmodi vocum concordia non solum ipsis canentibus amicum quiddam & dulce resonat, verum etiam spectantes audientesque laetissima voluptate permulcentur. Jam vero in exercitu neque miles, neque imperator sine ordine ac dispositione quidquam valeat explicare, cum armatus inermem, eques peditem, plaustrum equites, si sint permisti, confundant. Haec eadem ratio praeparationis atque ordinis etiam in navigiis plurimum valet. Nam ubi tempestas incessit, & est rite disposita navis, suo quidque ordine locatum armamentum sine trepidatione minister promit, cum est a

gubernatore postulatum. Quod si tantum haec possunt, vel in theatris, vel in exercitibus, vel etiam in navigiis: nihil dubium est, quin cura villicae ordinem dispositionemque rerum, quas reponit, desideret. Nam & unumquodque facilius consideratur, cum est assignatum suo loco, & si quid forte abest, ipse vacuus locus admonet, ut quod deest, requiratur. Si quid vero curari aut concinnari oportet, facilius intelligitur, cum ordine suo recensetur. De quibus omnibus M. Cicero auctoritatem Xenophontis secutus in Oeconomico sic inducit Ischomachum sciscitanti Socrati haec narrantem.

Distributio instrumenti & supellectilis.

Cap. III. Praeparatis idoneis locis instrumentum & supellectilem distribuere coepimus: ac primum ea secrevimus, quibus ad res divinas uti solemus, postea mundum muliebrem, qui ad dies festos comparatur, deinde [ad] virilem, item dierum solennium ornatum, nec minus calciamenta utrique sexui convenientia: tum jam seorsum arma ac tela seponebantur, & in altera parte instrumenta, quibus ad lanificia utuntur. Post quae ad cibum conficiendum vasa (ut assolent) constituebantur: inde quae ad lavatio-

nem, quae ad exornationem, quae ad mensam quotidianam, atque epulationem pertinerent, exponebantur. Postea ex iis, quibus quotidie utimur, quod menstruum esset seposuimus, quod annuum quoque in duas partes divisimus: nam sic minus fallit, qui exitus futurus sit. Haec postquam omnia secrevimus, tum suo quaeque loco dispposuimus: deinde quibus quotidie servuli utuntur, quae ad lanificia, quae ad cibaria coquenda & conficienda pertinent, haec ipsa ei, qui uti solet, tradidimus, & ubi ea ponerent, demonstravimus, & ut salva essent, praecepimus. Quibus autem ad dies festos & ad hospitum adventum utimur, & ad quaedam rara negotia, haec promo tradidimus, & loca singulis demonstravimus, & cuique sua annumeravimus, atque annumerata ipsi exscripsimus, eumque admonuimus, ut quodcunque opus esset, sciret unde daret & meminisset, atque annotaret, quid & quando, & cui dedisset, & cum recepisset, ut quidque suo loco reponeret. Igitur haec nobis antiqui per Ischomachi personam praecepta industriae ac diligentiae tradiderunt, quae nunc nos villicae demonstramus. Nec tamen una ejus cura esse debebit, ut clausa custodiat, quae tectis

illata receperit, sed subinde recognoscat atque consideret, ne aut supellex vestisve condita situ dilabatur, aut fruges, aliave utensilia negligentia desidiave sua corrumpantur. Pluviis vero diebus, vel cum frigoribus aut pruinis mulier sub dio rusticum opus obire non poterit, ut ad lanificium reducatur, praeparatae sint, & pectitae lanae, quo facilius justa lanificio persequi atque exigere possit. Nihil enim nocebit, si sibi atque actoribus, & aliis in honore servilis vestis domi confecta fuerit, quo minus patrisfamilias rationes onerentur. Illud vero etiam in perpetuum custodiendum habebit, ut eos, qui foris rusticari debebunt, cum jam e villa familia processerit, requirat, ac si quis (ut evenit) curam contubernalis ejus intra tectum tergiversans fefellerit, causam desidiae scisciteur, exploretque, utrum adversa valetudine inhibitus restiterit, an pigritia delituerit. Et si compererit, vel simulantem languorem, sine cunctatione in valetudinarium deducat: praestat enim opere fatigatum sub custodia requiescere unum aut alterum diem, quam pressum nimio labore veram noxam concipere. Denique uno loco quam minime oportebit eam consistere, neque enim sedentaria ejus opera

est, sed modo ad telam debebit accedere, ac si quid melius sciat, docere: si minus, addiscere ab eo, qui plus intelligat, modo eos, qui cibum familiae conficiunt, invisere: tum etiam culinam, & bubilia, nec minus praesepia mundanda curare: valetudinaria quoque vel si vacent ab imbecillis, identidem aperire & immunditiis liberare, ut cum res exegerit, bene ordinata & ornata & salubria languentibus praebeantur: promis quoque & cellariis aliquid appendentibus aut metientibus intervenire: nec minus interesse pastoribus in stabulis fructum cogentibus, aut foetus ovium, aliarumve pecudum subrumantibus: tonsuris vellerum quoque interesse, & lanas etiam diligenter percipere, & vellera ad numerum pecoris recensere: tum insistere atrienſibus, ut supellectilem exponant, & ferramenta detersa nitidentur, atque rubigine liberentur, caeteraque si refectionem desiderant, fabris concinnanda tradantur. Postremo his rebus omnibus constitutis, nihil hanc arbitror distributionem profuturam, nisi, ut jam dixi, villicus saepius, & aliquando tamen dominus aut matrona consideraverit, animadverteritque, ut ordinatio instituta conservetur. Quod etiam in bene moratis civitatibus

semper est observatum; quarum primoribus atque optimatibus, non satis visum est bonas leges habere, nisi custodes earum diligentissimos cives creassent, quos Graeci νομοφύλακας appellant. Horum erat officium, eos, qui legibus parerent, laudibus prosequi, nec minus honoribus: eos autem, qui non parerent, poena multare. Quod nunc scilicet faciunt magistratus, assidua jurisdictione vim legum custodientes. Sed haec in universum administranda tradidisse abunde sit.

Quae vasa parare debeat penoribus & salgamis condiendis.

Cap. IV. Nunc de caeteris rebus, quae omissae erant prioribus libris, quoniam villicae reservabantur officiis, praecipiemus, & ut aliquis ordo custodiatur, incipiemus a verno tempore, quoniam vere maturis [herbis] atque trimestribus consummatis sationibus, vacua tempora jam contingunt ad ea exequenda, quae deinceps docebimus. Parvarum rerum curam non defuisse Poenis Graecisque auctoribus, atque etiam Romanis, memoria tradidit. Nam & Mago Carthaginiensis, & Hamilcar, quos secuti videntur Graecae gentis non obscuri scriptores Mnaseas atque Paxamus, tum demum nostri generis, post-

quam a bellis otium fuit, quasi quoddam tributum victui humano conferre dedignati non sunt, ut M. Ambivius & Maenas Licinius, tum etiam C. Matius; quibus studium fuit pistoris & coci, nec minus cellarii diligentiam suis praeceptis instituere. His autem omnibus placuit, eum, qui rerum harum officium susceperit, castum esse continentemque oportere, quoniam totum in eo sit, ne contractentur pocula, vel cibi, nisi aut ab impube, aut certe abstinentissimo rebus venereis; quibus si fuerit operatus vel vir, vel foemina, debere eos flumine aut perenni aqua, priusquam penora contingant, ablui; propter quod his necessarium esse pueri vel virginis ministerium, per quos promantur, quae usus postulaverit. Post hoc praeceptum, locum & vasa idonea salgamis praeparari jubent: locum esse debere aversum a sole, quam frigidissimum & siccissimum, ne situ penora mucorem contrahant. Vasa autem fictilia vel vitrea, plura potius quam ampla, & eorum alia recte picata, nonnulla tamen pura, prout conditio conditurae exegerit. Haec vasa dedita opera fieri oportet patenti ore, & usque ad imum aequalia, nec in modum doliorum formata, ut exemptis ad usum salgamis quid-

quid supereſt aequaliter pondere usque ad fundum deprimatur, cum ea res innoxia penora conſervet, ubi non innatent, ſed ſemper ſint jure ſubmerſa. Quod in utero dolii vix fieri poſſet propter inaequalitatem figurae. Maxime autem ad hoc neceſſarium eſſe aceti, & durae muriae uſum, quae utraque ſic conficiuntur.

Quemadmodum ex vino vapido acetum fiat.

CAP. V. In vini vapidi, ut acre ſiat, ſextarios duodequinquaginta, fermenti libram, fici aridae pondo quadrantem, ſalis ſextarium ſubterito, & ſubtrita cum quartario mellis aceto diluito, atque ita in praedictam menſuram adjicito. Quidam ordei toſti ſextarios quatuor, & nuces ardentes juglandes quadraginta, & mentae viridis pondo ſelibram in eandem menſuram adjiciunt. Quidam ferri maſſas exurunt, ita ut ignis ſpeciem habeant, eaſque in eandem menſuram demittunt. Tum etiam exemptis nucleis ipſas nuces pineas vacuas numero quinque vel ſex incendunt, & ardentes eodem demittunt. Alii nucibus ſapineis ardentibus idem faciunt.

Quomodo muria dura fiat.

CAP. VI. Muriam duram ſic facito: dolium quam patentiſſimi oris locato in ea parte

villae, quae plurimum ſolis accipit. Id dolium aqua caeleſti repleto; ea eſt enim huic rei aptiſſima; vel ſi non fuerit pluvialis, certe fontana dulciſſimi ſaporis. In eam tum indido ſportam junceam, vel ſparteam, quae replenda eſt ſale candido, quo candidior muria fiat. Cum ſalem per aliquot dies videbis liqueſcere, ex eo intelliges nondum eſſe muriam maturam. Itaque ſubinde alium ſalem tamdiu ingeres, donec in ſporta permaneat integer, nec minuatur. Quod cum animadverteris, ſcies habere muriam maturitatem ſuam. Et ſi aliam [in id vas facere] volueris, hanc in vaſa bene picata diffundes, & opertam in ſole habebis. Omnem enim mucorem vis ſolis aufert, & odorem bonum praebet. Eſt aliud muriae maturae experimentum. Nam ubi dulcem caſeum demiſeris in eam, ſi peſſum ibit, ſcies eſſe adhuc crudam, ſi innatabit, maturam.

Quae per quatuor anni tempora herbae, & quomodo condiantur.

Cap. VII. His praeparatis circa vernum aequinoctium herbas in uſum colligi & reponi oportebit, cymam, caulem, capparim, apii coliculos, rutam, oluſatrum cum ſuo cole antequam de folliculo exeat: item ferularum

coliculos silentes, quam tenerrimum florem pastinacae agrestis vel sativae cum coliculis, silentem florem vitis albae, & asparagi, & ruscí, & thanni, & digitelli, & pulleii, & nepetae, & lapsanae, & battis, & ejus coliculum, qui miluinus pes appellatur; quin etiam tenerum coliculum foeniculi. Haec omnia una conditura commode servantur, id est, aceti duas partes, & tertiam durae muriae si miscueris. Sed vitis alba, ruscus, & thamnum, & asparagus, lapsana, & pastinaca, & nepeta, & battis, generatim in alveos componuntur, & sale conspersa biduo sub umbra, dum consudent, reponuntur: deinde si tantum remiserint humoris, ut suo sibi jure ablui possint: si minus, superfusa dura muria lavantur, & pondere impositó exprimuntur: tum suo quidque vase conditur, & jus, ut supra dixi, quod est mistum duabus partibus aceti, & una muriae, infunditur, foeniculique aridi, quod est per vindemiam proximo anno lectum, spissamentum imponitur, ita ut herbas deprimat, & jus usque in summum labrum fideliae perveniat. Olusatrum, & ferulam, & foeniculum cum legeris, sub tecto exponito, dum flaccescat: deinde folia & corticem omnem folliculorum detrahito. Caules

si

si fuerint pollice crassiores, arundine secato, & in duas partes dividito. Ipsos quoque flores, ne sint immodici, diduci & partiri oportebit, atque ita in vasa condi. Deinde jus, quod supra scriptum est, infundi, & paucas radiculas laseris, quod Graeci σίλφιον vocant, adjectas, ita spissamento foeniculi aridi contegi, ut jus superveniat. Cymam, caulem, capparim, pedem milui, puleium, digitellum, compluribus diebus sub tecto siccari, dum flaccescat, & tum eodem modo condiri convenit, quo ferulam, rutam, satureiam, cunilam. Sunt, qui rutam muria tantum dura sine aceto condiant, deinde, cum usus exigit, aqua vel etiam vino abluant, & superfuso oleo utantur. Hac conditura posset commode satureia viridis, & aeque viridis cunila servari.

Oxygala quomoda fiat.

Cap. VIII. Oxygalam sic facito. Ollam novam sumito, eamque juxta fundum terebrato: deinde cavum, quem feceris, surculo obturato, & lacte ovillo quam recentissimo vas repleto, eoque adjicito viridium condimentorum fasciculos origani, mentae, cepae, coriandri. Has herbas ita in lacte demittito, ut ligamina earum extent. Post diem quin-

tum, ſurculum, quo cavum obturaveras, eximito & ſerum emittito. Cum deinde lac coeperit manare, eodem ſurculo cavum obturato, intermiſſoque triduo, ita, ut ſupra dictum eſt, ſerum emittito, & faſciculos condimentorum exemptos abjicito: deinde exiguum aridi thymi, & cunilae aridae ſuper lac diſtringito, conciſique ſectivi porri, quantum videbitur, adjicito & permiſceto: mox intermiſſo biduo rurſus ſerum emittito, cavumque obturato, & ſalis triti, quantum ſatis erit, adjicito & miſceto, deinde operculo impoſito & oblinito, non ante aperueris ollam, quam uſus exegerit. Sunt, qui ſativi, vel etiam ſilveſtris lepidii herbam cum collegerunt, in umbra ſiccent, deinde folia ejus abjecto caule die & nocte muria macerata expreſſaque, lacti miſceant ſine condimentis, & ſalis, quantum ſatis arbitrantur, adjiciant: tum caetera, quae ſupra praecepimus, faciant. Nonnulli recentia folia lepidii cum dulci lacte in olla miſcent, & poſt diem tertium, quemadmodum praecepimus, ſerum emittunt: deinde compertam ſatureiam viridem; tum etiam arida ſemina coriandri atque anethi, & thymi & apii in unum bene trita adjiciunt, ſalemque bene coctum cri-

bratum permiſcent. Caetera eadem, quae ſupra, faciunt.

Conditura lactucae.

CAP. IX. Caules lactucae ab imo depurgatos eatenus, qua tenera folia videbuntur, in alveo ſalire oportet, diemque unum & noctem ſinere, dum muriam remittant: deinde muria eluere, & expreſſos in cratibus pandere, dum aſſicceſcant: tum ſubſternere anethum aridum & foeniculum, rutaeque aliquid & porri concidere, atque ita miſcere: tum ſiccatos coliculos ita componere, ut faſeoli virides integri interponantur, quos ipſos ante dura muria die & nocte macerare oportebit: ſimiliterque aſſiccatos cum faſciculis lactucarum condi & ſuperfundi jus, quod ſit aceti duarum partium, atque unius muriae: deinde arido ſpiſſamento foeniculi ſic comprimi, ut jus ſupernatet. Quod ut fiat, is, qui huic officio praeerit, ſaepe ſuffundere jus debebit, nec pati ſitire ſalgama, ſed extrinſecus munda ſpongia vaſa pertergere, & aqua fontana quam recentiſſima refrigerare. Simili ratione intubum, & cacumina rubi, qua lactucam condire oportet, nec minus thymi & ſatureiae, & origani, tum etiam armora-

ciorum cymam. Haec autem, quae supra scripta sunt, verno tempore componuntur.

Cepae, pirorum & malorum caeterorumque pomorum compositio.

Cap. X. Nunc quae per aestatem, circa messem, vel etiam exactis jam messibus colligi & reponi debeant, praecipiemus. Pompeianam vel Ascaloniam cepam, vel etiam Marsicam simplicem, quam vocant unionem rustici, eligito: ea est autem, quae non fruticavit, nec habuit soboles adhaerentes. Hanc prius in sole siccato, deinde sub umbra refrigeratam substrato thymo vel cunila componito in fidelia, & infuso jure, quod sit aceti trium partium, & unius muriae, fasciculum cunilae superponito, ita ut cepa deprimatur: quae cum jus combiberit, simili mistura vas suppleatur. Eodem tempore corna, & pruna onychina & pruna silvestria, nec minus genera pirorum & malorum condiuntur. Corna, quibus pro olivis utamur: item pruna silvestria & pruna onychina adhuc solida, nec maturissima, legenda sunt, nec tamen nimium cruda. Deinde uno die umbra siccanda: tum aequis partibus acetum & sapa vel defrutum misceatur, & infundatur. Oportebit autem aliquid salis adjicere, ne vermi-

culus, aliudve animal innaſci poſſit. Verum commodius ſervantur, ſi duae partes ſapae cum aceti una parte miſceantur. Pira Dolabelliana, Cruſtumina, regia, veneria, volema, Naeviana, lateritiana, decumana, laurea, myrappia, pruna purpurea, cum immatura, non tamen percruda legeris, diligenter inſpicito, ut ſint integra ſine vitio aut vermiculo: tum in fictili picata fidelia componito, & aut paſſo aut defruto completo, ita ut omne pomum ſubmerſum ſit, operculo deinde impoſito gypſato. Illud in totum praecipiendum exiſtimavi, nullum eſſe genus pomi, quod non poſſit melle ſervari. Itaque cum ſit haec res interdum aegrotantibus ſalutaris, cenſeo vel pauca poma in melle cuſtodiri, ſed ſeparata generatim. Nam ſi commiſceas, alterum ab altero genere corrumpitur. Et quoniam opportune mellis fecimus mentionem, hoc eodem tempore alvi caſtrandae, ac mel conficiendum, cera facienda eſt: de quibus nono libro jam diximus: nec nunc aliam curam exigimus a villico, quam ut adminiſtrantibus interſit, fructumque cuſtodiat.

Aquae dulcis compoſitio, qua in condituris utuntur.

Cap. XI. Caeterum cum eodem tempore

mella, nec minus aqua mulsa in vetustatem reponi debeat, meminisse oportebit, ut cum secundarium mel de favis fuerit exceptum, cerae statim minute resolvantur, & aqua fontana vel caelesti macerentur. Expressa deinde aqua coletur, & in vas plumbeum defusa decoquatur, omnisque spurcitia cum spumis eximatur: quae decocta, cum tam crassa fuerit quam defrutum, refrigeretur & bene picatis lagoenis condatur. Hac quidam mella pro aqua mulsa utuntur, nonnulli etiam pro defruto in condituras olivarum; quibus quidem magis idoneam censeo, quod cibarium saporem habet, nec potest languentibus pro aqua mulsa remedio esse: quoniam si bibatur, inflationem stomachi & praecordiorum facit.

De aqua mulsa facienda.

Cap. XII. Itaque seposita ea, & ad condituras destinata, per se facienda erit optimo melle aqua mulsa. Haec autem non uno modo componitur. Nam quidam multos ante annos caelestem aquam vasis includunt, & sub dio in sole habent: deinde cum saepius eam in alia vasa transfuderint & eliquaverint, (nam quoties etiam per longum tempus diffunditur, aliquod crassamentum in imo simile

feci reperitur) veteris aquae sextarium cum libra mellis miscent. Nonnulli tamen cum austeriorem volunt efficere gustum, sextarium aquae cum dodrante pondo mellis diluunt, & ea portione repletam lagoenam gypsatamque patiuntur per Caniculae ortum in sole quadraginta diebus esse; tum demum in tabulatum, quod fumum accipit, reponunt. Nonnulli, quibus non fuit curae caelestem inveterare aquam, recentem sumunt, eamque usque in quartam partem decoquunt: deinde cum refrixerit, sive dulciorem mulsam facere volunt; duobus aquae sextariis sextarium mellis permiscent: sive austeriorem; sextario aquae dodrantem mellis adjiciunt, & his portionibus factam in lagoenam diffundunt: eamque, ut supra dixi, quadraginta diebus insolatam postea in tabulatum, quod suffumigatur, reponunt.

De caseo servando, & de quibusdam herbis condiendis.

CAO. XIII. Caseo usibus domesticis praeparando, hoc maxime idoneum tempus est, quo & caseus seri minimum remittit: & ultimo tempore, cum jam exiguum lactis est, non tam expedit operas morari ad forum fructibus deferendis: & sane saepe deportati

per aestum, acore vitiantur. Itaque praestat eos hoc ipso tempore in usum conficere. Id autem ut quam optime fiat, opilionis officium est, cui septimo libro praecepta dedimus, quae sequi debeat. Sunt etiam quaedam herbae, quas appropinquante vindemia condire possis, ut portulaca, & olus cordum, quod quidam sativum battim vocant. Hae herbae diligenter purgantur, & sub umbra expanduntur: deinde quarto die sal in fundis fideliarum substernitur: & separatim unaquaeque earum componitur, acetoque infuso iterum sal superponitur: nam his herbis muria non convenit.

De malis & piris in sole siccandis.

Cap. XIV. Hoc eodem tempore, vel etiam primo mense Augusto, mala & pira dulcissimi saporis mediocriter matura eliguntur, & in duas vel tres partes arundine, vel osseo cultello divisa in sole ponuntur, donec arescant. Eorum si est multitudo, non minimam partem cibariorum per hiemem rustici vindicant. Nam pro pulmentario cedit, sicuti ficus, quae cum arida sepositа est, hiemis temporibus rusticorum cibaria adjuvat.

De ficis aridis.

Cap. XV. Ea porro neque nimium vieta,

neque immatura legi debet, & in eo loco expandi, qui toto die ſolem accipiat. Pali autem quatuor pedibus inter ſe diſtantes figuntur, & perticis jugantur. Factae deinde in hunc uſum cannae jugis ſuperponuntur, ita ut duobus pedibus abſint a terra, ne humorem, quem fere noctibus remittit humus, trahere poſſint: tunc ficus injicitur, & crates paſtorales culmo, vel carice, vel filice textae ex utroque latere ſuper terram planae diſponuntur, ut cum ſol in occaſum fuerit, erigantur, & inter ſe acclives teſtudineato tecto, more tuguriorum, inareſcentem ficum a rore, & interdum a pluvia defendant. Nam utraque res praedictum fructum corrumpit. Cum deinde aruerit, in orcas bene picatas meridiano tempore calentem ficum condere, & calcare diligenter oportebit, ſubjecto tamen arido foeniculo, & iterum vaſis repletis ſuperpoſito: quae vaſa confeſtim operculare, & oblinire convenit, & in horreum ficciſſimum reponi, quo melius ficus perennet. Quidam lectis ficis pediculos adimunt, & in ſole expandunt: cum deinde paullum ſiccatae ſunt, antequam indureſcant, in labra fictilia vel lapidea congerunt eas: tum pedibus lotis in modum farinae proculcant, & admiſcent tor-

refacta sesama cum aniso Aegyptio, & semine foeniculi & cymini. Haec cum bene proculcaverint, & totam massam comminutae fici permiscuerint, modicas offas foliis ficulneis involvunt, ac religatas junco vel qualibet herba offas reponunt in crates, & patiuntur siccari: deinde cum peraruerint, picatis vasis eas condunt. Nonnulli hanc ipsam formam fici orcis sine pice includunt, & oblita vasa clibano vel furno torrefaciunt, quo celerius omnis humor excoquatur: siccatam in tabulatum reponunt, & cum exegerit usus, testam comminuunt: nam duratam massam fici aliter eximere non possunt. Alii pinguissimam quamque viridem ficorum eligunt, & arundine vel digitis divisam dilatant, atque ita in sole arescere patiuntur, quas deinde bene siccatas meridianis teporibus, cum calore solis emollitae sunt, colligunt: & ut est mos Afris atque Hispanis, inter se compositas comprimunt, in figuram stellarum floscularumque, vel in formam panis redigentes: tum rursus in sole assiccant, & ita in vasis recondunt.

De uvis passis faciendis & sorbis servandis.

Cap. XVI. Similem curam uvae desiderant, quas dulcissimi saporis albas, maximis

acinis, nec spissis, luna decrescente, sereno & sicco caelo post horam quintam legi oportet, & in tabulas paullisper porrigi, ne inter se pondere suo pressae collidantur: deinde aheno, vel in olla nova fictili ampla, praeparatam lixiviam cineris sarmenti calefieri convenit; qnae cum fervebit, exiguum olei quam optimi adjici, & ita permisceri: deinde uvas pro magnitudine binas, vel ternas inter se colligatas in ahenum fervens demitti, & exiguum pati, dum decolorentur; nec rursus committere, ut excoquantur: nam quadam moderatione temperamentoque opus est. Cum deinde exemeris, in crate disponito rarius, quam ut altera alteram contingat. Post tres deinde horas unamquamque uvam convertito, nec in eodem vestigio reponito, ne in humore, qui defluxerit, corrumpatur: noctibus autem contegi debent quemadmodum fici, ut a rore vel pluvia tutae sint. Cum deinde modice aruerint, in vasa nova sine pice operculata & gypsata, sicco loco reponito. Quidam uvam passam foliis ficulneis involvunt, & assiccant: alii foliis vitigineis, nonnulli platanínis semivietas uvas contegunt, & ita in amphoras recondunt. Sunt qui culmos fabae exurant, & ex eo, quod cremaverint,

cinere lixiviam faciant, deinde in lixiviae sextarios decem salis tres cyathos, & olei cyathum adjiciant, tum adhibito igne calefaciant, & caetera eodem modo administrent. Quod si videbitur in aheno parum inesse olei, subinde quantum satis erit adjiciatur, quo sit pinguior & nitidior uva passa. Eodem tempore sorba manu lecta curiose in urceolos picatos adjicito, & opercula picata imponito, & gypso linito, tum scrobibus bipedaneis sicco loco intra tectum factis, urceolos ita collocato, ut oblita ora eorum deorsum spectent: deinde terram congerito & modice desuper calcato. Melius est autem pluribus scrobibus pauciora vasa distantia inter se disponere. Nam in exemptione eorum dum unum tollis, si reliqua commoveris, celeriter sorba vitiantur. Quidam hoc idem pomum etiam in defruto commode servant, adjecto spissamento aridi foeniculi, quo deprimantur ita sorba, ut semper jus supernatet, ac nihilominus picata opercula diligenter gypso linunt, ne possit spiritus introire.

De aceto ficulneo faciendo.

Cap. XVII. Sunt quaedam regiones, in quibus vini, ideoque etiam aceti penuria est. Itaque hoc eodem tempore ficus viridis quam

maturissima legenda est, utique etiam si jam pluviae incesserunt, & propter imbres in terram decidit: quae cum sublecta est, in dolium vel in amphoras conditur, & ibi finitur fermentari: deinde cum exacuit & remisit liquorem, quicquid est aceti diligenter colatur, & in vasa picata bene olida diffunditur. Hoc primae notae acerrimi aceti usum praebet, nec unquam situm aut mucorem contrahit, si non humido loco positum est. Sunt qui multitudini studentes aquam ficis permisceant, & subinde maturissimas ficus recentes adjiciant, & patiantur in eo jure tabescere, donec satis acris aceti sapor fiat: postea in junceis fiscellis, vel sparteis saccis percolant, liquatumque acetum infervefaciunt, dum spumam & omnem spurcitiam eximant: tum torridi salis aliquid adjiciunt, quae res prohibet vermiculos aliave innasci animalia.

Quae praeparandae sint vindemiae.

Cap. XVIII. Quamvis priore libro, qui inscribitur Villicus, jam diximus, quae ad vindemiam praeparanda sunt, non tamen alienum est etiam villicae de iisdem rebus praecipere, ut intelligat suae curae esse debere, quaecunque sub tecto administrantur circa vindemiam. Si ager amplus, aut vineta aut

arbuſta grandia ſunt, perenne fabricandae decimodiae, & trimodiae, & fiſcellae texendae, & picandae: nec minus falculae & ungues ferrei quamplurimi parandi & exacuendi ſunt, ne vindemiator manu diſtringat uvas, & non minima fructus portio diſperſis acinis in terram dilabatur. Funiculi quoque fiſcellis aptandi ſunt, & lora trimodiis: tum lacus vinarii & torcularii, & fora, omniaque vaſa (ſi vicinum eſt mare) aqua marina; ſi minus, dulci eluenda ſunt, & commundanda & diligenter afficcanda, ne humorem habeant. Cella quoque vinaria omni ſtercore liberanda, & bonis odoribus ſuffienda, ne quem redoleat foetorem acoremve. Tum ſacrificia Libero, Liberaeque, & vaſis preſſoriis quam ſanctiſſime caſtiſſimeque facienda: nec per vindemiam ab torculari aut vinaria cella recedendum eſt, ut omnia, qui muſtum conficiunt, pure mundeque faciant; ne furi locus detur praeſentem fructum intercipiendi. Dolia quoque, & ſeriae, caeteraque vaſa ante quadrageſimum vindemiae diem picanda ſunt, atque aliter ea, quae demerſa ſunt humi, aliter quae ſtant ſupra terram. Nam ea, quae demerſa ſunt, ferreis lampadibus ardentibus calefiunt, & cum picem in fundum deſtilla-

vit, ſublata lampade, rutabulo ligneo, & ferrea curvata radula ducitur, quod deſtillavit, aut quod in lateribus haeſit: deinde penicillo detergitur, & ferventiſſima pice infuſa novo alio rutabulo & ſcopula picatur. At quae ſupra terram conſiſtunt, complures dies antequam curentur in ſolem producuntur. Deinde cum ſatis inſolata ſunt, in labra convertuntur, & ſubjectis parvis tribus lapidibus ſuſpenduntur, atque ita ignis ſubjicitur, & tamdiu incenditur, donec ad fundum calor tam vehemens perveniat, ut appoſita manus patiens ejus non ſit: tum dolio in terram demiſſo, & in latus depoſito, pix ferventiſſima infunditur, volutaturque, ut omnes dolii partes linantur. Sed haec die quieto a ventis fieri debent, ne admoto igne, cum afflaverit ventus, vaſa rumpantur. Sunt autem ſatis ſeſquiculleribus doliis picis durae pondo vicenaquina. Nec dubium, quin ſi quinta pars picis brutiae in univerſam coctūram adjiciatur, utiliſſimum ſit omni vindemiae.

De pluribus generibus conditurarum, quibus vinum confirmatur.

Cap. XIX. Cura quoque adhibenda eſt, ut expreſſum muſtum perenne ſit, aut certe uſque ad venditionem durabile. Quod quem-

admodum fieri debeat, & quibus condituris adjuvari, deinceps subjiciemus. Quidam partem quartam ejus musti, quod in vasa plumbea conjecerunt, nonnulli tertiam decoquunt. Nec dubium, quin ad dimidium, si quis excoxerit, meliorem sapam facturus sit, eoque usibus utiliorem, adeo quidem, ut etiam vice defruti, sapa, mustum, quod est ex veteribus vineis, condire possit. Quaecunque vini nota sine condimento valet perennari, optimam esse eam censemus, nec omnino quidquam permiscendum, quo naturalis sapor ejus infuscetur. Id enim praestantissimum est, quod suapte natura placere poterit. Caeterum cum aut regionis vitio, aut novellarum vinearum, mustum laborabit, eligenda erit pars vineae (si est facultas) Amineae; si minus, quam bellissimi vini, quaeque erit & vetustissima, & minime uliginosa. Tum observabimus decrescentem lunam, cum est sub terra, & sereno siccoque die uvas quam maturissimas legemus, quibus proculcatis mustum, quod defluxerit, ante quam prelo pes eximatur, satis de lacu in vasa defrutaria deferemus, levique primum igne, & tenuibus admodum lignis, quae cremia rustici appellant, fornacem incendemus,

ut

ut ex commodo muſtum ferveat. Iſque, qui praeerit huic decoquendo, cola juncea, vel ſpartea ex crudo, id eſt, non malleato ſparto praeparata, habeat: itemque faſciculos foeniculi fuſtibus illigatos, quos poſſit utique ad fundum vaſorum demittere, ut quidquid fecis ſubſederit, exagitet & in ſummum reducat: tum colis omnem ſpurcitiam, quae redundarit, expurget. Nec abſiſtat id facere, donec videbitur eliquatum omni fece muſtum carere. Tum ſive mala cydonia, quae percocta ſublaturus ſit, ſeu quoſcunque voluerit convenientes odores adjiciat, & nihilo minus ſubinde foeniculo peragitet, nequid ſubſederit, quod poſſit plumbeum perforare. Cum deinde jam acriorem potuerit ignem vas ſuſtinere, id eſt, cum aliqua jam parte muſtum excoctum in ſe fervebit, tum codices & vaſtiora ligna ſubjiciantur, ſed ita, ne fundum contingant. quod niſi vitatum fuerit, vel vas ipſum, quod aliquando contingit, pertundetur; vel ſi id factum non erit, utique aduretur muſtum, & amaritudine concepta condituris fiet inutile. Oportebit autem antequam muſtum in vaſa defrutaria conjiciatur, oleo bono plumbea ipſa intrinſecus imbui, &

bene fricari, atque ita muſtum adjici. Ea res non patitur defrutum aduri.

De ſaba coquenda.

Cap. XX. Quin etiam diligenter factum defrutum, ſicut vinum, ſolet aceſcere: quod cum ita ſit, meminerimus anniculo defruto, cujus jam bonitas explorata eſt, vinum condire. Nam vitioſo medicamine fructus, qui perceptus eſt, vitiatur. Ipſa autem vaſa, quibus ſapa aut defrutum coquitur, plumbea potius quam aenea eſſe debent. Nam in coctura aeruginem remittunt aenea, & medicaminis ſaporem vitiant. Odores autem vino fere apti ſunt, qui cum defruto coquuntur, iris, foenum Graecum, ſchoenum: harum rerum ſingulae librae in defrutarium, quod ceperit muſti amphoras nonaginta, cum jam deferbuerit & expurgatum erit, tum adjici debent. Deinde ſi natura tenue muſtum erit, cum ad tertiam partem fuerit decoctum, ignis ſubtrahendus eſt, & fornax protinus aqua refrigeranda. quod ſi fecerimus, nihilo minus defrutum infra tertiam partem vaſis conſedit. Sed id quamvis aliquid detrimenti habeat, prodeſt tamen: nam quanto plus decoquitur (ſi modo non eſt aduſtum) melius & ſpiſſius fit. Ex hoc autem defruto, quod ſic erit

coctum, satis est singulos sextarios singulis amphoris immiscere. Nam cum amphoras musti nonaginta in defrutario decoxeris, ita ut jam exiguum supersit de coctura [quod significat decoctum ad tertias:] tum demum medicamina adjicito, quae sint aut liquida, aut resinosa, id est, picis liquidae Nemeturicae, cum eam diligenter ante aqua marina decocta perlueris, decem sextarios: item resinae terebinthinae sesquilibram. Haec cum adjicies, plumbeum peragitabis, ne adurantur. Cum deinde ad tertias subsederit coctura, subtrahe ignem, & plumbeum subinde agitabis, ut defrutum & medicamenta coeant: deinde cum videbitur mediocriter calere defrutum, reliqua aromata contusa & cribrata paullatim insperges, & jubebis rutabulo ligneo agitari, quod decoxeris, eo usque dum defrigescit. Quod si non ita, ut praecipimus, permiscueris, subsident aromata, & adurentur. Ad praedictum autem modum musti adjici debent ii odores, nardi folium, iris illyrica, nardum gallicum, costum, palma, cyperum, schoenum, quorum singulorum selibrae satisfacient: item myrrhae quincunx, calami pondo libram, casiae selibram, amomi pondo quadrans, croci quincunx, cripae

pampinaceae libram. Haec, ut dixi, arida contusa & cribrata debent adjici, & his commisceri rasis, quod est genus crudae picis: eaque quanto est vetustior, tanto melior habetur. Nam longo tempore durior facta, cum est contusa, in pulverem redigitur, & his medicaminibus admiscetur. Satis est autem praedictis ponderibus sex libras ejus misceri. Ex hac compositione, quantum in sextarios musti quadragenos octonos adjiciendum sit, incertum est, quoniam pro natura vini aestimari oportet, quod satis sit: cavendumque est, ne conditus sapor intelligatur. Nam ea res emptorem fugat. Ego tamen, si humida fuerit vindemia, trientem; si ficca, quadrantem medicaminis in binas amphoras miscere solitus sum, [ita, ut quatuor urnarum esset musti modus: urna autem quatuor & viginti sextariorum]. Nonnullos agricolas singulis amphoris quadrantem medicaminis indidisse scio, sed hoc coactos feciſſe propter nimiam infirmitatem vini ejusmodi, quod vix triginta diebus integrum permanebat. Hoc tamen mustum, si sit lignorum copia, satius est inservefacere, & omnem spumam cum fecibus expurgare: quo facto decima pars decidet, sed reliqua perennis erit. At si lignorum pe-

nuria est, marmoris, vel gypsi, quod flos appellatur, uncias singulas, item ad tertias decocti defruti sextarios binos singulis amphoris miscere oportebit. Ea res etiamsi non in totum perennat, certe usque in alteram vindemiam plerumque vini saporem servat.

De defruto, quod adjicitur in vinum ad vetustatem.

Cap. XXI. Mustum quam dulcissimi saporis decoquatur ad tertias, & decoctum, sicut supra dixi, defrutum vocatur. Quod cum defrixit, transfertur in vasa & reponitur, ut post annum sit in usu. Potest tamen etiam post dies novem, quam refrixerit, adjici in vinum: sed melius est, si anno requieverit. Ejus defruti sextarius in duas urnas musti adjicitur, si mustum ex vineis collinis est: sed si ex campestribus, tres heminae adjiciuntur. Patimur autem, cum de lacu mustum sublatum est, biduo deferveſcere, & purgari. Tertio die defrutum adjicimus. Deinde interposito biduo, cum id mustum pariter cum defruto deferbuerit, purgatur, & ita coadjicitur in binas urnas ligula cumulata, vel mensura semunciae bene plenae salis cocti & triti. Sal autem quam candidissimus conjicitur in urceo fictili sine pice: qui ur-

ceus, cum recipit salem, diligenter totus oblinitur luto paleato, & ita igni admovetur, ac tamdiu jam torretur, quamdiu strepitum edit. Cum silere coepit, finem habet coctu-rae. Praeterea foenum Graecum maceratur in vino vetere per triduum: deinde eximitur & in furno siccatur, vel in sole: idque cum est aridum factum, molitur, & ex eo molito post salituram musti cochlear cumulatum, vel simile genus poculi ejus, quae est quarta pars cyathi, adjicitur in binas urnas. Deinde cum jam perfecte mustum deferbuit & constitit, tantundem gypsi floris miscemus, quantum salis adjeceramus: atque ita postero die purgamus dolium, & nutritum vinum operimus atque oblinimus. Hac conditura Columella, patruus meus, illustris agricola, uti solitus est in iis fundis, in quibus palustres vineas habebat. Sed idem, cum collina vina condiebat, aquam salsam decoctam ad tertias pro sale adjiciebat. Ea porro facit sine dubio majorem mensuram, & odoris melioris: sed periculum habet, ne vitietur vinum, si male cocta sit aqua. Sumitur autem haec, ut jam dixeram, quam longissime a littore. Nam liquidior & purior est, quantum altiori mari hausta est. Eam si quis (ut

Columella faciebat) reponet, poſt triennium in alia vaſa eliquatam transfundat: deinde poſt alterum triennium decoquat uſque ad partem tertiam: longe meliorem habebit conditurам vini, nec ullum periculum erit, ne vina vitientur. Satis eſt autem ſextarios ſingulos adjicere ſalſae, eoſque in binas muſti urnas: quamvis multi etiam binos immiſceant, nonnulli etiam ternos ſextarios: idque ego facere non recuſem, ſi genus vini tantum valeat, ut aquae ſalſae non intelligatur ſapor. Itaque diligens pater familias cum paraverit fundum, ſtatim prima vindemia tres aut quatuor notas conditurae totidem amphoris muſti experietur, ut exploratum habeat, quantum plurimum ſalſae vinum, quod fecerit, ſine offenſa guſtus pati poſſit.

Picis liquidae alterum medicamen, quo muſtum condias.

Cap. XXII. Picis liquidae Nemeturicae metretam adde in labrum, aut in alveum, & in eodem infundito cineris lixiviae congios duos, deinde permiſceto ſpatha lignea. Cum requieverit, eliquato lixiviam: deinde iterum tantundem lixiviae addito, eodem pacto permiſceto & eliquato. Tertio quoque idem facito. Cinis autem odorem picis aufert, &

eluit ſpurcitiam. Poſt eodem addito picis Brutiae; ſi minus, alterius quam puriſſimae quinque libras. Haec minute concidito, & admiſceto pici Nemeturicae. Tum aquae marinae quam vetuſtiſſimae, ſi erit; ſi minus, ad tertiam partem recentis aquae marinae decoctae congios duos injicito. Apertum labrum finito in ſole per Caniculae ortum, & ſpatha lignea permiſceto quam ſaepiſſime, uſque eo, dum ea, quae addideris, in pice colliqueſcant, & unitas fiat. Noctibus autem labrum operire conveniet, ne irroretur. Deinde cum aqua marina, quam addideris, ſole conſumpta videbitur, ſub tectum vas totum ferre curabis. Hujus autem medicaminis quidam pondo quadrantem in ſextarios XLVIII miſcere ſoliti ſunt, & hac conditura contenti eſſe. Alii cyathos tres ejus medicamenti adjiciunt in totidem ſextarios, quot ſupra diximus.

De pice, qua utuntur Allobroges ad condituram vini picati.

Cap. XXIII. Pix corticata appellatur, qua utuntur ad condituras Allobroges. Ea ſic conficitur, ut dura ſit, & quanto facta eſt vetuſtior, eo melior in uſu eſt. Nam omni lentore miſſo facilius in pulverem reſolvitur

atque cribratur. Hanc ergo conteri & cribrari oportet: deinde cum bis muſtum deferbuerit, quod plerumque eſt intra quartum diem, quam de lacu ſublatum, diligenter manibus expurgatur. Et tunc demum praedictae picis ſextans, & ſemuncia, in ſextarios quinque & quinquaginta adjicitur, & rutabulo ligneo permiſcetur, nec poſtea tangitur, dum conferveſcat: quod tamen non amplius diebus quatuordecim a conditura patiendum eſt. Nam oportebit poſt hunc numerum dierum confeſtim vinum emundare, & ſi quid fecis aut labris vaſorum aut lateribus inhaeſit, eradi ac ſuffricari, & protinus operculis impoſitis oblini. At ſi ex eadem pice totam vindemiam condire volueris, ita ne guſtus picati vini poſſit intelligi, ſat erit eidem picis ſex ſcripula in ſextarios quinque & quadraginta tum demum miſcere, cum muſtum deferbuerit, & feces expurgatae fuerint. Oportebit autem ſalis decocti contritique ſemunciam in eundem modum muſti adjicere. Nec ſolum huic notae vini ſal adhibendus eſt, verum, ſi fieri poſſit, in omnibus regionibus omne genus vindemiae hoc ipſo pondere ſaliendum eſt: nam ea res mucorem vino ineſſe non patitur.

De pice Nemeturica ad condituras.

CAP. XXIV. Pix Nemeturica in Liguria conficitur. Ea deinde, ut fiat condituris idonea, aqua marina quam longissime a littore de pelago sumenda est, atque in dimidiam partem decoquenda: quae cum in tantum refrixerit, quantum ne contacta corpus urat, partem aliquam ejus, quae satis videbitur, praedictae pici immiscemus, & diligenter lignea spatha, vel etiam manu peragitabimus, ut si quid inest vitii eluatur. Deinde patiemur picem considere, & cum siderit, aquam eliquabimus: postea bis aut ter ex reliqua parte aquae decoctae tamdiu lavabimus, & subigemus eam, donec rutila fiat: tum eliquatam in sole quatuordecim diebus patiemur esse, ut quisquis ex aqua humor remansit, assiccetur. Noctibus autem vas tegendum erit, ne irroretur. Cum hoc modo picem praeparaverimus, & vina, cum jam bis deferbuerint, condire voluerimus, in musti sextarios octo & quadraginta, cyathos duos picis praedictae sic adjiciemus. Ex ea mensura, quam condituri sumus, sextarios duos musti sumere oportebit, deinde ex his sextariis in picis sextantem paullatim mustum infundere, & manu tanquam mulsum subigere, quo fa-

cilius coëat. Sed ubi toti duo sextarii cum pice coierint, & quasi unitatem fecerint, tum eosdem in id vas, unde sumpseramus, perfundere, & ut permisceatur medicamen, rutabulo ligneo peragitare conveniet.

De aqua salsa vel muria ad vina condienda.

Cap. XXV. Quoniam quidam, immo etiam fere omnes Graeci, aqua salsa vel muria mustum condiunt, eam quoque partem curae non omittendam putavi. In mediterraneo, quo non est facilis aquae marinae invectio, sic erit ad condituras conficienda muria. Huic rei vel maxime est idonea caelestis aqua; si minus, ex fonte liquidissimo profluens. Harum ergo alterutram curabis quam plurimam, & quam optimis vasis conditam ante quinquennium in sole ponere: deinde cum computruerit, tamdiu pati, donec ad pristinum modum perveniat. Quod cum factum fuerit, alia vasa habeto, & in ea sensim aquam eliquato, donec ad fecem pervenias. Semper enim in requieta aqua crassamen aliquod in imo reperitur. Sic curata cum fuerit, in modum defruti ad tertias decoquenda est. Adjiciuntur autem in aquae dulcis sextarios quinquaginta, salis sextarius, & mellis optimi unus sextarius. Haec pariter decoqui, &

omnem ſpurcitiam expurgari oportet. Deinde cum refrixerit, tum quantumcunqe humoris eſt, tantum in amphoram muſti portionem adjici. Quod ſi ager maritimus eſt, ſilentibus ventis de alto quam quietiſſimo mari ſumenda eſt aqua, & in tertiam partem decoquenda, adjectis, ſi videbitur, aliquibus aromatis ex iis, quae ſupra retuli, ut ſit odoratior vini curatio. Muſtum autem antequam de lacu tollas, vaſa rore marino, vel lauro, vel myrto ſuffumigato & large repleto, ut in efferveſcendo vinum ſe bene purget. Poſtea vaſa nucibus pineis ſuffricato. Quod vinum volueris dulcius eſſe, poſtero die; quod auſterius, quinto die quam fuſtuleris, condire oportebit, & ita ſupplere, & oblinire vaſa. Nonnulli etiam ſuffumigatis ſeriis prius condituram addunt, & ita muſtum infundunt.

Remedia aceſcentis vini.

CAP. XXVI. In quo agro vinum aceſcere ſolet, curandum eſt, ut cum uvam legeris & calcaveris, prius quam vinacea torculis exprimantur, muſtum in corbem defundas, & aquae dulcis puteanae ex eodem agro partem decimam adjicias & coquas, donec ea aqua, quam adjeceris, decocta ſit. Poſtea cum refrixerit, in vaſa defundas & operias, & ob-

linas: ita diutius durabit, & detrimenti nihil fiet. Melius est, si veterem servatam compluribus annis aquam addideris, longeque melius si aquae nihil addideris, & decimam musti decoxeris, frigidumque in vas transtuleris, & si in sextarios VII musti heminam gypsi miscueris, posteaquam decoctum refrixerit. Reliquum mustum, quod in vinaceis fuerit expressum, primo quoque tempore absumito, aut aere commutato.

De vino dulci faciendo.

Cap. XXVII. Vinum dulce sic facere oportet. Uvas legito, in sole per triduum expandito, quarto die meridiano tempore calidas uvas proculcato, mustum lixivum, hoc est, antequam prelo pressum sit, quod in lacum musti fluxerit, tollito: cum deferbuerit, in sextarios quinquaginta irim bene pinsitam nec plus unciae pondere addito, vinum a fecibus eliquatum diffundito. Hoc vinum erit suave, firmum, corpori salubre.

Alia medicaminum genera vini condituris.

Cap. XXVIII. Alia medicaminum genera vini condituris & firmitati aptissima sic facito. Irim quam candidissimam pinsito, foenum Graecum vetere vino macerato: deinde in sole exponito, aut in furno, ut sic-

ceſcat: tum commolito minutiſſime. Item odoramenta trita, id eſt, irim cribratam, quae ſit inſtar pondo quincuncem & trientem, foeni Graeci pondo quincuncem & trientem, ſchoeni pondo quincuncem in unum permiſceto: tum in ſerias ſingulas, quae ſint amphorarum ſeptenum, addito medicaminis pondo unciam, & ſcripula octo: gypſi, cum ex locis paluſtribus muſtum erit, in ſingulas ternas heminas; cum de novellis vineis erit, ſextarium; cum de veteribus & locis ſiccis, heminas ſingulas adjicito. Tertio die quam calcaveris, condituram infundito, ſed antequam condias, muſti aliquantum in ſeriam de ſeria transferto, ne in condiendo cum medicamento efferveſcat & fluat. Sic autem curatum gypſum & medicamentum in labello permiſceto, quantum ſeriis ſingulis fuerit neceſſarium, idque medicamentum muſto diluito, & ipſa ad ſerias addito & permiſceto: cum deferbuerit, ſtatim repleto & oblinito. Omne vinum cum condieris, nolito ſtatim diffundere, ſed finito in doliis quieſcere; poſtea cum de doliis aut de ſeriis diffundere voles, vere, florente roſa, defecatum quam limpidiſſimum in vaſa bene picata & pura transferto. Si in vetuſtatem ſervare

voles, in cado duarum urnarum quam optimi vini sextarium, aut fecis generosae recentis sextarios tres addito: aut si vasa recentia, ex quibus vinum exemptum sit, habebis, in ea confundito. Si horum quid feceris, multo melius & firmius erit vinum. Etiam si bonos odores addideris, omnem malum odorem & saporem prohibueris: nam nulla res alienum odorem celerius ad se ducit, quam vinum.

Quemadmodum mustum semper dulce tanquam recens permaneat.

Cap. XXIX. Mustum ut semper dulce tanquam recens permaneat, sic facito. Antequam prelo vinacea subjiciantur, de lacu quam recentissimum addito mustum in amphoram novam, eamque oblinito & impicato diligenter, ne quidquam aquae introire possit: tunc in piscinam frigidae & dulcis aquae totam amphoram mergito, ita nequa pars extet: deinde post dies XL eximito, sic usque in annum dulce permanebit.

Optima vini curatio, & remedia languentis vini.

Cap. XXX. Ab eo tempore, quo primum dolia operculaveris, usque ad Aequinoctium vernum semel in diebus XXXVI vinum curare satis est, post Aequinoctium vernum bis,

aut si vinum florere incipiet, saepius curare oportebit: ne flos ejus pessum eat, & saporem vitiet. Quanto major aestus erit, eo saepius convenit vinum nutriri refrigerarique, & ventilari: nam quamdiu bene frigidum erit, tamdiu recte manebit. Labra vel fauces doliorum semper suffricari nucibus pineis oportebit, quoties vinum curabitur. Si qua vina erunt duriora, aut minus bona, quod agri vitio aut tempestate sit factum, sumito fecem vini boni, & panes facito, & in sole arefacito & coquito in igne: postea terito, & pondo quadrantem amphoris singulis infricato & oblinito, bonum fiet.

Si quod animal in mustum ceciderit & interierit, remedia.

Cap. XXXI. Si quod animal in mustum ceciderit & interierit, uti serpens, aut mus, sorexve, ne mali odoris vinum faciat, ita ut repertum corpus fuerit, id igne adoleatur, cinisque ejus in vas, quo deciderat, frigidus infundatur, atque rutabulo ligneo permiscea-tur: ea res erit remedio.

Vinum ex marrubio.

Cap. XXXII. Vinum marrubii multi utile putant ad omnia intestina vitia, & maxime ad tussim. Cum vindemiam facies, marrubii

caules

caules teneros, maxime de locis incultis & macris legito, eosque in sole siccato: deinde fasciculos facito, & tomice palmea aut juncea ligato, & in seriam mittito, ita ut vinculum extet: in musti dulcis sext. cc, marrubii libras VIII adjicito, ut simul cum musto defervescat: postea eximito marrubium, & purgatum vinum diligenter oblinito.

Vinum scillitem, ut cond. op.

CAP. XXXIII. Vinum scilliten ad concoquendum & ad corpus reficiendum, itemque ad veterem tussim & ad stomachum hoc modo condire oportet. Primum ante dies quadraginta, quam vinum voles vindemiare, scillam legito, eamque secato quam tenuissime, sicut raphani radicem, taleolasque sectas suspende in umbra, ut adsiccentur: deinde cum aridae erunt, in musti Aminei sextarios XLVIII, scillae aridae adde pondo libram, eamque inesse patere diebus XXX, postea eximito, & defecatum vinum in amphoras binas adjicito. Alii scribunt in musti sextarios XLVIII, scillae aridae pondo libram, & quadrantem adjici oportere: quod & ipsum non improbo.

De aceto scillitico.

CAP. XXXIV. Hoc ipsum scillae pondus,

quod supra dixi, in aceti duas urnas adjiciunt, & per XL dies inesse patiuntur, qui scilliticum acetum facere volunt [decem bambatae]. In tres amphoras musti mittis aceti acris congium aut duplum, si non est acre, & in ollam, quae fert amphoras tres, decoquis ad palmum, id est, ad quartas: aut si non dulce mustum, ad tertias: dispumetur. Sed mustum desub massa & limpidum sit.

Vinum absinthiten, hysopiten, abrotoniten & relinquarum notarum quomodo condire oporteat.

CAP. XXXV. Vinum absinthiten, & hysopiten, & abrotoniten, & thymiten, & marathriten & glechoniten sic condire oportet. Pontici absinthii pondo libram cum musti sextar. IIII decoque usque ad quartas: reliquum quod erit, id frigidum adde in musti Aminei urnam. Idem ex reliquis [rebus], quae suprascripta sunt, facito. Possunt etiam puleii aridi tres librae cum congio musti ad tertias decoqui, & cum refrixerit liquor, exempto puleio in urnam musti adjici: idque mox tussientibus per hiemem recte datur: vocaturque vini nota glechonites.

De musto tortivo.

CAP. XXXVI. Mustum tortivum est, quod

post primam pressuram vinaceorum circumciso pede exprimitur. Id mustum conjicies in amphoram novam, & implebis ad summum. Tum adjicies ramulos rorismarini aridi lino colligatos, & patieris una defervescere per dies septem; deinde eximes ramulorum fasciculum, & purgatum diligenter vinum gypsabis. Sat erit autem rorismarini sesquilibram in duas urnas musti adjicere. Hoc vino post duos menses possis pro remedio uti.

Vinum simile Graeco facere.

Cap. XXXVII. Uvas praecoquas quam maturissimas legito, easque per triduum in sole siccato, quarto die calcato, & mustum quod nihil habeat ex tortivo, conjicito in seriam, diligenterque curato, ut cum defervuerit, feces expurgentur: deinde quinto die cum purgaveris mustum, salis cocti & cribrati duos sextarios, vel, quod est minimum, adjicito unum sextarium in sextarios musti XLIX. Quidam etiam defruti sextarium miscent: nonnulli etiam duos adjiciunt, si existimant vini notam parum esse firmam.

Vinum myrtiten quomodo facias.

Cap. XXXVIII. Vinum mirtiten ad tormina, & ad alvi proluviem, & ad imbecillum stomachum sic facito. Duo sunt genera

myrti, quorum alterum est nigrum, alterum album. Nigri generis baccae, cum sunt maturae leguntur, & semina earum eximuntur, atque ipsae sine seminibus in sole siccantur, & in fictili fidelia sicco loco reponuntur. Deinde per vindemiam ex vetere arbusto, vel si id non est, ex vetustissimis vineis Amineae bene maturae uvae sole calido leguntur, & ex his mustum adjicitur in seriam, & statim primo die antequam id ferveat, baccae myrti, quae fuerant repositae, diligenter conteruntur, & totidem earum librae contusarum appenduntur, quot amphore condiri debent: tum exiguum musti sumitur ex ea seria quam medicaturi sumus, & tanquam farina conspergitur, quidquid contusum & appensum est. Post haec complures ex ea massulae fiunt, & ita per latera seriae in mustum demittuntur, ne altera offa super alteram perveniat. Cum deinde bis mustum deferbuerit, & bis curatum est, rursus eodem modo, & tantundem ponderis baccae, sicut supra dixi, contunditur: nec jam ut prius massulae fiunt, sed in labello mustum de eadem seria sumitur, praedicto ponderi permiscetur, sic ut sit instar juris crassi: quod cum est permistum, in eandem seriam confunditur, & rutabulo

ligneo peragitatur. Deinde post nonum diem quam id factum est, vinum purgatur, & scopulis aridae myrti seria suffriatur, operculumque superimponitur; ne quid eo decidat. Hoc facto, post septimum diem rursus vinum purgatur, & in amphoras bene picatas & bene olidas diffunditur: sed curandum est, ut cum diffundis, liquidum & sine fece diffundas. Vinum aliud myrtiten, sic temperato: mel Atticum ter infervere facito, & toties dispumato: vel si Atticum non habueris, quam optimum mel eligito, & quater vel quinquies dispumato. Nam quanto est deterius, tanto plus habet spurcitiae: cum deinde mel refrixerit, baccas albi generis myrti quam maturissimas legito & perfriato, ita ne interiora semina conteras. Mox fiscello ligneo inclusas exprimito, succumque earum, qui fit sextariorum sex, cum mellis decocti sextario immiscetо, & in lagunculam diffusum oblinito. Sed hoc mense Decembri fieri debebit, quo fere tempore matura sunt myrti semina: custodiendumque erit, ut ante quam baccae legantur, si fieri potest, septem diebus; sin autem, ne minus triduum serenum fuerit, aut certe non pluerit, & ne rorulentae legantur cavendum. Multi nigram vel

albam myrti baccam, cum jam maturuit, distringunt, & duabus horis eam cum paululum in umbra expositam siccaverunt, perterunt ita, ut quantum fieri potest, interiora semina integra permaneant. Tum per lineum fiscum, quod pertriverant, exprimunt, & per colum junceum liquatum succum lagunculis bene picatis condunt, neque melle, neque alia re ulla immista. Hic liquor non tam est durabilis, sed quamdiu sine noxa manet, utilior est ad valetudinem quam alterius myrteae notae compositio. Sunt, qui hunc ipsum expressum succum, si sit ejus copiosior facultas, in tertiam partem decoquant, & refrigeratum picatis lagunculis condant. Sic confectum diutius permanet: sed quod non decoxeris, poterit innoxium durare biennio, si modo munde & diligenter id feceris.

Passum quemadmodum fiat.

CAP. XXXIX. Passum optimum sic fieri Mago praecipit, ut & ipse feci. Uvam praecoquam bene maturam legere, acina arida aut vitiosa rejicere: furcas vel palos, qui cannas sustineant, inter quaternos pedes figere, & perticis jugare: tum insuper cannas ponere, & in sole pandere uvas, & noctibus tegere, ne irrorentur: cum deinde

exaruerint, acina decerpere, & in dolium aut in ſeriam conjicere, eodem muſtum quam optimum, ſic ut grana ſubmerſa ſint, adjicere: ubi combiberint uvae, ſeque impleverint, ſexto die in ſiſcellam conferre & prelo premere, paſſumque tollere: poſtea vinaceos calcare adjecto recentiſſimo muſto, quod ex aliis uvis factum fuerit, quas per triduum inſolaveris: tum permiſcere & ſubactam briſam prelo ſubjicere, paſſumque ſecundarium ſtatim vaſis oblinitis includere, ne fiat auſterius: deinde poſt viginti vel triginta dies, cum deferbuerit, in alia vaſa deliquare, & confeſtim opercula gypſare & pelliculare. — Paſſum ſi ex uva Apiana facere volueris, uvam Apianam integram legito, acina corrupta purgato & ſecernito, poſtea in perticis ſuſpendito. Perticae uti ſemper in ſole ſint facito. Ubi ſatis corrugata erunt acina demito, & ſine ſcopionibus in dolium conjicito, pedibuſque bene calcato. Ubi unum tabulatum feceris, vinum vetus conſpergito, poſtea alterum ſupercalcato, & item vinum conſpergito. Eodem modo tertium calcato, & infuſo vino ita ſuperponito, ut ſupernatet, & finito dies quinque: poſtea pedibus proculcato, & in ſiſcina nova uvas premito. Quidam aquam

caeleſtem veterem ad hunc uſum praeparant, & ad tertias decoquunt. Deinde cum ſic uvas, ut ſupra ſcriptum eſt, paſſas fecerunt, decoctam aquam pro vino adjiciunt, & caetera ſimiliter adminiſtrant. Hoc ubi lignorum copia eſt, viliſſime conſtat, & eſt in uſu vel dulcius, quam ſuperiores notae paſſi.

Lora optima quomodo fiat.

Cap. XL. Lora optima ſic fit. Quantum vini uno die feceris, ejus partem decimam, quot metretas efficiat, conſiderato, & totidem metretas aquae dulcis in vinacea, ſed quibus unius diei vinum expreſſum erit, addito: eodem & ſpumas defruti, ſive ſapae, & fecem ex lacu confundito & permiſceto, eamque intritam macerari una nocte ſinito, poſtero die pedibus proculcato, & ſic permiſtam prelo ſubjicito: quod deinde fluxerit, aut doliis, aut amphoris condito, & cum deferbuerit, obturato. Commodius autem ſervatur in amphoris. Hanc ipſam loram M. Columella ex aqua vetere faciebat, & nonnunquam plus biennio innoxiam ſervabat.

Muſtum lixivum quomodo fiat.

Cap. XLI. Mulſum optimum ſic facito. Muſtum lixivium de lacu ſtatim tollito: hoc autem erit, quod diſtillaverit, antequam ni-

mium calcetur uva. Sed de arbuſtivo genere, quod ſicco die legeris, id facito. Conjicies in urnam muſti mellis optimi pondo x, & diligenter permiſtum recondes in lagoena, eamque protinus gypſabis, jubebiſque in tabulato reponi, ſi plus volueris facere, proportione, qua ſupra, mel adjicies. Poſt trigeſimum & alterum diem lagoenam aperire oportebit, & in aliud vas muſtum eliquatum oblinire, atque in furnum reponere. — Conditura ex cydoniis fit hoc modo: in cacabo figuli novo, vel in ſtagneo coquitur muſti arbuſtivi Aminei urna, & mala cydonea grandia expurgata viginti, & integra mala dulcia granata, quae Punica vocantur, & ſorba non permitia diviſa exemtis ſeminibus, quae ſint inſtar ſextariorum trium. Haec ita coquuntur, ut omnia poma deliqueſcant cum muſto, & ſit puer, qui ſpatha lignea, vel arundine permiſceat poma, ne poſſint aduri. Deinde cum fuerint decocta, ut non multum juris ſuperſit, refrigerantur & percolantur: eaque, quae in colo ſubſiderunt, diligenter contrita levigantur, & iterum in ſuo ſibi jure lento igni, ne adurantur, carbonibus decoquuntur, donec craſſamen in modum fecis exiſtat. Prius tamen quam de igne medica-

mentum tollatur, tres heminae roris Syriaci contriti & cribrati ſuper omnia adjiciuntur, & ſpatha permiſcentur, ut coëant cum caeteris. Tum refrigeratum medicamentum, adjicitur in vas fictile novum picatum, idque gypſatum alte ſuſpenditur, ne pallorem trahat.

De caſeo condendo.

Cap. XLII. Caſeum ſic condiemus. Caſei aridi ovilli proximi anni fruſta ampla facito, & in picato vaſe componito: tum optimi generis muſto adimpleto, ita ut ſuperveniat, & ſit jus aliquanto copioſius quam caſeus. Nam caſeus combibit, & ſit vitioſus, niſi muſtum ſemper ſupernatet. Vas autem, cum impleveris, ſtatim gypſabis: deinde poſt dies viginti licebit aperiri, & uti qua voles adhibita conditura. Eſt autem etiam per ſe non injucundus.

Uvae ollares quemadmodum componantur & ſerventur.

Cap. XLIII. Uvas bumaſtos, vel duracinas, vel purpureas cum deſecueris a vite, continuo pediculos earum impicato dura pice: deinde labellum fictile novum impleto paleis quam ficciſſimis cribratis, ut ſine pulvere ſint, & ita uvas ſuperponito: tum labello

altero adoperito, & circumlinito luto paleato, atque ita in tabulato ficciſſimo compoſita labra paleis ſiccis obruito. Omnis autem uva ſine noxa ſervari poteſt, ſi luna decreſcente, & ſereno caelo poſt horam quartam, cum jam inſolata eſt, nec roris quicquam habet, viti detrahatur. Sed ignis in proximo decumano fiat, ut pix ferveat, in qua pediculi uvarum ſtatim demittantur. — In dolium bene picatum defruti amphoram conjicito, deinde tranſverſos fuſtes arctato, ita ut defrutum non contingant: tum ſuperponito fictiles novas patinas, & in his ſic uvam diſponito, ut altera alteram non contingat: tum opercula patinis imponito & linito. Deinde alterum tabulatum & tertium, & quamdiu magnitudo patitur dolii, ſimiliter inſtruito, & eadem ratione uvas componito. Deinde picatum operculum dolii defruto large linito, & impoſitum cinere obturato. Nonnulli adjecto defruto contenti ſunt tranſverſas perticas arctare, & ex his uvas ita ſuſpendere, ne defrutum contingant: deinde operculum impoſitum oblinire. Quidam uvas cum ita, ut ſupra dixi, legerunt, doliola nova ſine pice in ſole ſiccant. Deinde cum ea in umbra refrigeraverunt, furfures ordeaceos adjiciunt,

& uvas ita ſuperponunt, ut altera alteram non comprimat: tum generis ejuſdem furfures infundunt, & alterum tabulatum uvarum eodem modo collocant: idque faciunt uſque dum dolium alternis furfuribus & uvis compleant. Mox opercula impoſita linunt, & uvas ſicciſſimo frigidiſſimoque tabulato reponunt. Quidam eadem ratione arida populnea vel abiegna ſcobe virides uvas cuſtodiunt. Nonnulli ficco flore gypſi obruunt uvas, quas non nimium maturas vitibus detraxerunt. Alii cum legerunt uvam, ſi qua ſunt in ea vitioſa grana forficibus amputant, atque ita in horreo ſuſpendunt, in quo triticum ſuppoſitum eſt. Sed haec ratio rugoſa facit acina, & pene tam dulcia, quam eſt uva paſſa. Marcus Columella patruus meus ex ea creta, qua fiunt amphorae, lata vaſa in modum patinarum fieri jubebat: eaque intrinſecus & exterius craſſe picari: quae cum praeparaverat, tum demum purpureas, & bumaſtos, & Numiſianas, & duracinas uvas legi praecipiebat, pediculoſque earum ſine mora in ferventem picem demitti, & in praedictis patinis ſeparatim ſui cujuſque generis ita componi, ne uvae inter ſe contingerent: poſt hoc opercula ſuperponi, & oblini craſſo gypſo: tum de-

mum pice dura, quae igni liquata esset, sic picari, nequis humor transire posset: tota deinde vasa in aqua fontana vel cisternina, ponderibus impositis mergi, nec ullam partem earum pati extare. Sic optime servatur uva. Sed cum est exemta, nisi eo die consumitur, acescit. Nihil est tamen certius, quam vasa fictilia facere, quae singulas uvas laxe recipiant. Ea debent quatuor ansas habere, quibus illigata viti dependeant: itemque opercula eorum sic formari, ut media divisa sint, ut cum suspensa vasa singulas uvas receperint, ex utroque latere appositi operculi duae partes coëant, & contegant uvas. Et haec vasa & opercula extrinsecus & intra diligenter picata esse debebunt: deinde cum contexerunt uvas, luto paleato multo adoperiri: sed uvae dependentes a matre sic in pultarios condi debebunt, ne quae partes vasa contingant. Tempus autem, quo includi debent, id fere est, quo adhuc siccitatibus, & sereno caelo crassa variaque sint acina. Illud in totum maxime praecipimus, ne in eodem loco mala & uvae componantur, neve in vicino, unde odor malorum possit ad eas pervenire. Nam hujusmodi halitu celeriter acina corrumpuntur. Et tamen custodiendorum po-

morum rationes, quas retulimus, non omnes omnibus regionibus aptae sunt, sed pro conditione locorum & natura uvarum, aliae aliis conveniunt. — Antiqui plerumque sircitulas & venuculas, & majores amineas, & gallicas, quaeque majores, & duri & rari acini erant, vasis condebant: nunc autem circa Urbem maxime ad hunc usum numisianae probantur. Haec sereno caelo cum jam soli rorem sustulit, quarta vel quinta hora (si modo luna decrescit, & sub terris est) modice maturae lectissimae leguntur: deinde in cratibus ita ponuntur, ne altera alteram collidat. Tum demum sub tectum referuntur, & arida vel vitiosa grana forficibus amputantur: & cum paullulum sub umbra refrixerint, ternae aut etiam quaternae, pro capacitate vasorum in ollas demittuntur, & opercula diligenter pice obturantur, ne humorem transmittant. Tum vinaceorum pes bene prelo expressus proruitur, & modice separatis scopionibus, resolutaque intrita folliculorum, in dolio substernitur, & deorsum versus spectantes ollae componuntur, ita distantes, ut interculcari possint vinacea: quae cum diligenter conspissata primum tabulatum fecerunt, aliae ollae eodem modo componuntur,

expleturque secundum tabulatum. Deinde similiter dolium completur tabulatis ollarum, spissque vinaceis inculcantur. Mox usque ad summum labrum vinaceae condensantur, & statim operculo superposito cinere in modum gypsi temperato dolium linitur. Monendus tamen erit, qui vasa emturus est, ne bibulas aut male coctas ollas emat. Nam utraque res transmisso humore vitiat uvam. Quin etiam oportebit, cum ad usum promuntur ollae, tota singula tabulata detrahi. Nam conspissata vinacea, si semel mota sunt, celeriter acescunt & uvas corrumpunt.

Mala granata quemadmodum serventur.

CAP. XLIV. Sequuntur vindemiam rerum autumnalium compositiones, quae & ipsae curam villicae distendunt. Nec ignoro, plurima in hunc librum non esse collata, quae C. Matius diligentissime persecutus est. Illi enim propositum fuit urbanas mensas, & lauta convivia instruere. Libros tres edidit, quos inscripsit nominibus coci & cetarii, & salgamarii. Nobis tamen abunde sunt ea, quae ex facili rusticae simplicitati non magna impensa possunt contingere, uti sunt in primis omnium generum mala. Quidam, ut a granatis incipiam, pediculos punicorum, sicuti

sunt, in arbore intorquent, ne pluviis mala rumpantur, & hiantia dispereant, eaque ad majores ramos religant, ut immota permaneant: deinde sparteis retibus arborem cludunt, ne aut corvis, aut cornicibus, aliisve avibus pomum laceretur. Nonnulli vascula fictilia dependentibus malis aptant, & illita luto paleato arboribus haerere patiuntur: alii foeno vel culmo singula involvunt, & insuper luto paleato crasse linunt, atque ita majoribus ramis illigant, ne, ut dixi, vento commoveantur. Sed haec omnia, ut dixi, sereno caelo administrari sine rore debent: quae tamen aut facienda non sunt, quia laeduntur arbusculae: aut certe non continuis annis usurpanda, praesertim cum liceat etiam detracta arboribus eadem innoxia custodire. Nam & sub tecto fossulae tripedaneae sicciss-imo loco fiunt: eoque cum aliquantum terrae minutae repositum est, infiguntur sambuci ramuli: deinde sereno caelo granata leguntur cum suis pediculis, & sambuco inseruntur: [quoniam sambucus tam apertam & laxam medullam habet, ut facile malorum pediculos recipiat]. Sed cavere oportebit, ne minus quatuor digitis a terra absint, & ne inter se poma contingant. Tum factae scrobi

oper-

culum imponitur, & paleato luto circumlinitur, eaque humo, quae fuerat egesta, superaggeretur. Hoc idem in dolio fieri potest, sive quis volet resolutam terram usque ad dimidium vas elicere, seu, quod quidam malunt, fluvialem arenam caeteraque eadem ratione peragere. Poenus quidem Mago praecipit aquam marinam vehementer calefieri, & in ea mala granata lino spartove illigata paullum demitti, dum decolorentur, & exemta per triduum in sole siccari: postea loco frigido suspendi, & cum res exegerit, una nocte, & postero die usque in eam horam, qua fuerit utendum, aqua frigida dulci macerari. Sed & idem auctor est creta figulari bene subacta recentia mala crasse illinire, & cum argilla exaruit, frigido loco suspendere. Mox cum exegerit usus, in aquam demittere & cretam resolvere. Haec ratio tamquam recentissimum pomum custodit. Idem jubet Mago in urceo novo fictili substernere scobem populneam vel ligneam, & ita disponere, ut scobs inter se calcari possit: deinde facto primo tabulato rursus scobem substernere, & similiter mala disponere, donec urceus impleatur: qui cum fuerit repletus, operculum imponere & crasso luto diligenter

oblinire. Omne autem pomum, quod in vetuſtatem reponitur, cum pediculis ſuis legendum eſt: ſed ſi ſine arboris noxa fieri poſſit, etiam cum ramulis. Nam ea res plurimum ad perennitatem confert. Multi cum ramulis ſuis arbori detrahunt, & creta figulari cum diligenter mala obruerunt, in ſole ſiccant: deinde ſi qua rimam creta facit, luto liniunt, & aſſiccata frigido loco ſuſpendunt.

Mala orbiculata, Seſtiana, melimela, & alia genera quomodo ſerventur.

Cap. XLV. Multi eadem ratione, qua granata, in ſcrobibus vel doliis ſervant cydonea. Nonnulli foliis ficulneis illigant, deinde cretam figularem cum amurca ſubigunt, & ea liniunt mala: quae cum ſiccata ſunt, in tabulato frigido loco & ſicco reponunt. Nonnulli haec eadem in patinas novas ſicco gypſo ipſa obruunt, ut altera altera non contingant. Nihil tamen certius aut melius experti ſumus, quam ut cydonea maturiſſima integra ſine macula, & ſereno caelo, decreſcente luna, legantur, & in lagoena nova, quae ſit patentiſſimi oris, deterſa lanugine, quae malis ineſt, componantur leviter & laxe, ne collidi poſſint: deinde cum ad fauces uſque fuerint compoſita, vimineis ſurculis ſic

transversis arctentur, ut modice mala comprimant, nec patiantur ea, cum acceperint liquorem, sublevari. Tum quam optimo & liquidissimo melle vas usque ad summum ita repleatur, ut pomum submersum sit. Haec ratio non solum ipsa mala custodit, sed etiam liquorem mulsei saporis praebet, qui sine noxa possit interdum dari febricitantibus, isque vocatur melomeli. Sed cavendum est, ne, quae in melle custodire volueris, immatura mala condantur: quoniam cruda si lecta sunt, ita indurescunt, ut usui non sint. Illud vero, quod multi faciunt, ut ea dividant osseo cultro, & semina eximant, quod putent ex eis pomum vitiari, supervacuum est. Sed ratio, quam nunc docui, adeo quidem certa est, ut etiam si vermiculus inest, non amplius tamen corrumpantur mala, cum praedictum liquorem acceperint: nam ea mellis est natura, ut coërceat vitia, nec serpere ea patiatur, qua ex causa etiam exanimum corpus hominis per annos plurimos innoxium conservat. Itaque possunt alia genera malorum sicuti orbiculata, Sestiana, melimela, Matiana, hoc liquore custodiri. Sed quia videntur in melle dulciora fieri sic condita, nec proprium saporem conservare, arculae fagineae vel etiam

tiliagineae, quales sunt in quibus vestimenta forensia conduntur, huic rei paullo ampliores praeparari debent, eaeque in tabulato frigidissimo & siccissimo loco, quo neque fumus, neque teter perveniat odor, collocantur: deinde substrata praedicta poma sic componi, ut flosculi sursum, pediculi deorsum spectent, quemadmodum etiam in arbore nata sunt, & ne inter se alterum ab altero contingatur. Ita observandum est, ut unumquodque genus separatim propriis arculis reponatur. Nam cum una clausa sunt diversa genera, inter se discordant, & celerius vitiantur. Propter quod etiam conseminalium vinearum non tam est firmum vinum, quam si per se sincerum Amineum, vel Apianum, aut etiam fecinum condideris. Verum sic, ut praedixi, cum diligenter mala fuerint composita, operculis arcularum contegantur, & luto paleato linantur opercula, ne introire spiritus possit. Atque ea ipsa nonnulli sicut in aliis generibus, ut supra jam diximus, populnea, quidam etiam abiegna scobe interposita, mala custodiunt. Haec tamen poma non matura, sed acerbissima legi debent.

De inulae conditura.

CAP. XLVI. Inulae conditura sic fiet.

Cum ejus radicem menſe Octob. (quo maxime matura eſt) e terra erueris, aſpero linteolo, vel etiam cilicio detergito quidquid arenae inhaerebit: deinde acutiſſimo cultello ſummatim eradito, & quae plenior radicula fuerit, pro modo craſſitudinis in duas vel plures partes digiti longitudine diffindito: deinde ex aceto modice in cacabo aeneo coquito, ita ne taleolae inuri poſſint. Poſt haec in umbra triduo ſiccentur, & ita in fideliam picatam recondantur, adjecto paſſo vel defruto, quod ſupernatet, ſpiſſamentoque cunilae impoſito contectum vas pelliculetur. — Alia inulae conditura. Cum radices ejus raſeris, taleolas ut ſupra facito, & in umbra triduo vel etiam quatriduo ſiccato: deinde ſiccatas in vaſis ſine pice, interjecta cunila conjicito. Cunila impoſita, ſex partibus aceti una pars ſapae miſceatur cum hemina ſalis cocti, ut hoc jure macerentur taleolae, donec quam minimum amaritudinis reſipiant. Poſtea exemtae iterum ſiccentur per dies quinque in umbra: tum craſſamentum vini feculenti, nec minus, ſi ſit, mulſi, & utriusque eorum quartam partem boni defruti confundito in ollam: quae cum inferbuerit, taleolas inulae adjicito, & ſtatim ab igne removeto, ac ru-

dicula lignea peragitato, donec perfecte refrigescant. Postea transfundito in fideliam picatam, operculo tegito, tumque pelliculato. — Tertia ejusdem inulae conditura. Cum radiculas diligenter eraseris, minute concisas in muria dura macerato, donec amaritudinem dimittant. Deinde effusa muria, sorba quam optima & maturissima, semine detracto, contere, & cum inula misce. Tum sive passum, seu quam optimum defrutum adjicito & vas obturato. Quidam, cum condiverunt inulam muriaque maceraverunt, exsiccant, & malis cydoneis tritis, quae in defruto vel melle decoxerant, miscent: atque ita superfundunt passum, vel defrutum, & vas operculatum pelliculant.

De olivarum albarum conditura.

Cap. XLVII. Olivarum conditurae. Acerbam pauseam mense Septembri vel Octobri, dum adhuc vindemia est, contunde, & aqua calida paullulum maceratam exprime, foeniculique seminibus & lentisci cum cocto sale modice permistam reconde in fideliam, & mustum quam recentissimum infunde. Tum fasciculum viridis foeniculi superpositum merge, ut olivae premantur, & jus supereminet. Sic curata oliva tertio die possis uti. — Al-

bam pauſeam, vel orchitam, vel radiolum, vel regiam dum contundes, primum quamque, ne decoloretur, in frigidam muriam demerge, cujus cum tantum paratae habueris, quantum ſatis fuerit implendae amphorae, foeniculi aridi faſciculum ſubſterne in imo: deinde viridis foeniculi ſemina, & lentiſci, deſtricta & purgata in urceolo habeto: tum exemtam de muria olivam exprimito, & permiſtam praedictis ſeminibus in vas adjicito: deinde cum ad fauces pervenerit ejus, foeniculi aridi faſciculos ſuperponito, & ita recentis muſti duas partes, & unam durae muriae permiſtas adjicito. Hac conditura compoſitis olivis toto anno commode uteris. — Quidam olivam non contundunt, ſed acuta arundine inſecant: idque operoſius quidem, ſed melius eſt, quia haec candidior eſt oliva, quam ea, quae ex contuſione livorem contrahit. — Alii ſive contuderint, ſive inſecuerint olivas, modico ſale cocto & praedictis ſeminibus immiſcent: deinde ſapam vel paſſum, vel ſi eſt facultas, mellam infundunt. Mella autem quomodo fiat, paullo ante hoc ipſo libro praecepimus. Caetera omnia ſimiliter adminiſtrant. — Poſias olivas, vel regias ſine macula quam candidiſſimas manu diſtrictas eli-

gito: deinde ſubſtrato foeniculo arido in amphoram conjicito, intermiſtis ſeminibus lentiſci, nec minus foeniculi: & cum ad fauces vas repleveris, adjicito muriam duram: tum ſpiſſamento facto de arundinum foliis, olivam premito, ut infra jus merſa ſit: & iterum infundito muriam duram, dum ad ſummum amphorae labrum perveniat. At haec oliva per ſe parum jucunda eſt, ſed ad eas condituras, quae lautioribus menſis adhibentur, idonea maxime eſt: nam cum res exigit, de amphora promitur, & contuſa recipit quamcumque volueris condituram. Plerique tamen ſectivum porrum, & rutam cum apio tenero, & mentam minute concidunt, & contuſis olivis miſcent: deinde exiguum aceti piperati, & pluſculum mellis aut mulſi adjiciunt, oleoque viridi irrorant, atque ita faſciculo apii viridis contegitur. — Quidam ſic lectae olivae in modios ſingulos ternas heminas ſalis permiſcent, & adjectis ſeminibus lentiſci, foeniculoque ſubſtrato amphoram uſque ad fauces replent olivis: deinde aceto non acerrimo infundunt, & cum jam pene amphoram impleverunt, foeniculi ſpiſſamento deprimunt baccam, & rurſus acetum uſque ad ſummum labrum adjiciunt. Poſtea quadrageſimo die

omne jus defundunt, & ſapae vel defruti tres partes cum aceti una permiſcent, & amphoram replent. — Eſt & illa probata compoſitio, ut cum muria dura pauſea alba maturuerit, omne jus defundatur, & immiſtis duabus partibus defruti, cum aceti una, repleatur amphora. Eadem conditura poſſet etiam regia componi, vel orchita. — Quidam unam partem muriae, & duas aceti miſcent, eoque jure olivas poſeas colymbadas faciunt: quibus ſi per ſe quis uti velit, ſatis jucundas experietur, quamvis & hae, cum exeunt de muria, condituram qualemcumque recipere poſſunt. — Olivae poſeae, cum jam decolorantur, antequam miteſcant, cum petiolo leguntur, & oleo quam optimo ſervantur. Haec maxime nota etiam poſt annum repraeſentat viridem ſaporem olivarum. Nonnulli etiam cum de oleo exemerunt, trito ſale aſperſas pro novis apponunt. Eſt & illud conditurae genus, quod in civitatibus Graecis plerumque uſurpatur, idque vocant epityrum. Oliva pauſea vel orchita cum primum ex albo decoloratur, ſitque luteola, ſereno caelo manu diſtringitur, & in vannis uno die ſub umbra expanditur: & ſi qui adhaerent pediculi, foliaque, aut ſurculi, leguntur. Poſtero die

cribratur, & novo fisco inclusa prelo supponitur, vehementerque premitur, ut exsudet quantulumcunque habet amurcae. Patimur autem nonnunquam tota nocte, & postero die pondere pressam baccam velut exaniari, tum resolutis corticulis eximimus eam, & in singulos modios olivae triti salis cocti singulos sextarios infundimus: itemque lentisci semen, rutaeque, & foeniculi folia sub umbra siccata, quae uti satis videntur concisa, minute admiscemus, patimurque horis tribus, dum aliquatenus bacca salem combibat. Tum superfundimus boni saporis oleum, ita ut obruat olivam, & foeniculi aridi fasciculum deprimimus, ita ut jus supernatet. Huic autem conditurae vasa nova fictilia sine pice praeparantur: quae ne possint oleum sorbere, tamquam olivariae metretae imbuuntur liquamine: tum demum & assiccantur.

Nigrae olivae conditura.

Cap. XLVIII. Sequitur autem frigus hiemis, per quod olivitas, sicut vindemia, curam villicae repetit: Prius itaque (quoniam inchoavimus) de condituris olivarum praecipiemus, ac statim conficiendi olei rationem subjiciemus. Pauseae baccae, vel orchitae, nonnullis regionibus etiam Naeviae, convi-

viorum epulis praeparantur. Has igitur cum jam nigruerint, nec adhuc tamen permaturae fuerint, sereno caelo distringere manu convenit, lectasque cribrare & secernere, quaecumque maculosae, seu vitiosae, minorisve incrementi videbuntur: deinde in singulos modios olivae salis integri ternas heminas adjicere, & in vimineos qualos confundere superposito copioso sale, ita uti olivas contegat, sicque triginta dies pati consudascere, atque omnem amurcam exstillare: postea in alveum diffundere, mundaque spongia salem, ne permaneat, detergere: tum in vas adjicere, & sapa vel defruto amphoram replere superposito spissamento aridi foeniculi, quod olivam deprimat. Plerique tamen tres partes defruti aut mellis, & unam miscent aceti, aliqui duas partes, & unam aceti, & eo, quo condiunt, jure. Quidam, cum olivam nigram legerunt, eadem portione, qua supra, salsiunt, & sic collocant in qualis, ut immistis seminibus lentisci alterna tabulata olivarum & salis usque in summum componant: deinde post quadraginta dies, cum oliva quidquid habuit amurcae exsudavit, in alveum defundunt, & cribratam separant ab seminibus lentisci, spongiaque detergent, nequid adhae-

reat ſalis: tum in amphoram confundunt adjecto defruto, vel ſapa, vel etiam melle, ſi eſt copia, caeteraque ſimiliter faciunt. — In ſingulos modios olivae ſingulos ſextarios maturi ſeminis aniſi, lentiſcique, & ternos cyathos ſeminis foeniculi; ſi id non eſt, ipſum foeniculum conciſum, quantum ſatis videbitur, adjici oportet: deinde in ſingulis modiis olivarum ſalis cocti, & non moliti ternas heminas admiſceri, & ita in amphoris condi, eaſque faſciculis foeniculi obturari, & quotidie per terram volutari: deinde tertio quoque aut quarto die quidquid amurcae ineſt, mitti. Poſt XL dies in alveum diffundi, & a ſale tantummodo ſeparari, ſic ne ſpongia detergeantur olivae, ſed ita ut erunt exemtae, maſſulis ſalis miſtis in amphoram condantur, & ſpiſſamentis impoſitis, ad uſus in cellam reponantur. — Maturam olivam in ſtatura factam colymbadem, de muria tollito, ſpongia tergito: deinde canna viridi ſcindito duobus vel tribus locis, & triduo in aceto habeto: quarto die ſpongia extergito, in urceum aut cacabum novum mittito ſubſtrato apio & modica ruta. Conciſis deinde pleno vaſe olivis immitte defrutum uſque ad os. Lauri turiones in hoc uſu mittito, ut olivas deprimant. Poſt dies viginti utere.

Cap. XLIX. Oliva nigra maturiſſima ſereno caelo legitur, eaque ſub umbra uno die in cannis porrigitur, & quaecumque eſt vitioſa bacca, ſeparatur. Item, ſi qui adhaeſerant pediculi, adimuntur, foliaque & ſurculi, quicumque ſunt intermiſti, eximuntur. Poſtero die diligenter cribratur, ut ſi quid ineſt ſtercoris, ſeparetur: deinde intrita oliva novo fiſco includitur & prelo ſubjicitur, ut tota nocte exprimatur. Poſtero die injicitur quam mundiſſimis molis ſuſpenſis, ne nucleus frangatur. Et cum eſt in ſampſam redacta, tunc ſal coctus trituſque manu permiſcetur cum caeteris aridis condimentis. Haec autem ſunt carpum, cyminum, ſemen foeniculi, aniſum Aegyptium. Sat erit autem totidem heminas ſalis adjicere, quot ſunt modii olivarum, & oleum ſuperfundere, ne exareſcat: idque fieri debebit, quotieſcumque videbitur aſſiccari. Nec dubium eſt, quin optimi ſaporis ſit, quae ex oliva poſia facta eſt. Caeterum ſupra duos menſes ſapor ejus non permanet integer. Videntur autem alia genera huic rei magis eſſe idonea, ſicut Liciniae & culmineae. Verumtamen habetur praecipua in hos uſus olea Calabrica, quam quidam propter ſimilitudinem oleaſtellum vocant.

Oleum quemadmodum fiat.

CAP. L. Media est olivitas plerumque initium mensis Decembris. Nam & ante hoc tempus acerbum oleum conficitur, quod vocatur aestivum, & circa hunc mensem viride premitur, deinde postea maturum. Sed acerbum oleum facere patrisfamilias rationibus non conducit: quoniam exiguum fluit, nisi bacca tempestatibus in terram decidit, & necesse est eam sublegere, ne a domesticis pecudibus ferisve consumatur. Viridis autem notae conficere vel maxime expedit, cum & satis fluit, & pretio pene duplicat domini reditum. Sed si vasta sunt oliveta, necesse est, ut aliqua pars eorum maturo fructui reservetur. Locus autem, in quo confici oleum debeat, etiam descriptus est priore volumine, pauca tamen ad rem pertinentia commemoranda sunt, quae prius omiseram. Tabulatum, quo feratur olea, necessarium est, quamvis praeceptum habeamus, ut uniuscujusque diei fructus molis & prelo statim subjiciatur. Verumtamen quia interdum immodica multitudo baccae torcullariorum vincit laborem, [si labor est,] esse oportet pensile horreum, quo imponantur fructus: idque tabulatum simile esse debet granario, & habere lacuscu-

los tam multos, quam poſtulabit modus olivae, ut ſeparetur, & ſeorſum reponatur uniuſcujuſque diei coactura. Horum lacuſculorum ſolum lapide vel tegulis oportet conſterni, & ita declive fieri, ut celeriter omnis humor per canales aut fiſtulas defluat. Nam eſt inimiciſſima oleo amurca, quae ſi remanſit in bacca, ſaporem olei corrumpit. Itaque cum lacus, quemadmodum diximus, extruxeris, afferculos inter ſe diſtantes ſemipedalibus ſpatiis ſupra ſolum ponito, & cannas diligenter ſpiſſe textas injicito, ita ut ne baccam tranſmittere queant, & olivae pondus poſſint ſuſtinere. Juxta omnes autem lacuſculos, ea parte, qua defluet amurca, ſub ipſis fiſtulis in modum foſſularum concavum pavimentum, vel cavum lapidem eſſe oportebit, in quo conſiſtat, & unde exhauriri poſſit quidquid defluxerit. Praeterea lacus vel dolia praeparata ſub tecto habere oportebit, quae ſeorſum recipiant ſui cujuſque generis amurcam, ſive quae ſincera defluxerit, ſive etiam quae ſalem receperit. Nam utraque uſibus plurimis idonea eſt. Oleo autem conficiendo molae utiliores ſunt, quam trapetum: trapetum, quam canalis & ſolea. Molae quam facillimam patiuntur adminiſtrationem: quo-

niam pro magnitudine baccarum vel ſubmitti, vel etiam elevari poſſunt, ne nucleus, qui ſaporem olei vitiat, confringatur. Rurſus trapetum plus operis, faciliuſque quam ſolea & canalis efficit. Eſt & organum erectae tribulae ſimile, quod tudicula vocatur: idque non incommode opus efficit, niſi quod frequenter vitiatur, & ſi baccae pluſculum ingeſſeris, impeditur. Pro conditione tamen & regionum conſuetudine praedictae machinae exercentur. Sed eſt optima molarum, tum etiam trapeti. Haec ante quam de oleo conficiendo differerem, praefari neceſſe habui. Nunc ad ipſam rem veniendum eſt, quamquam multa omiſſa ſunt, quae ſicut ante vindemiam, ſic ante olivitatem praeparanda ſunt, tamquam lignorum copia, quae multo ante apportanda eſt, ne, cum res deſideraverit, operae avocentur; tum ſcalae, corbulae, decemmodiae, trimodiae ſatoriae, quibus diſtricta bacca ſuſcipitur, fiſci, funes cannabini & ſpartei, conchae ferreae, quibus depletur oleum, opercula, quibus vaſa olearia conteguntur, ſpongiae majores & minores, urcei, quibus oleum progeritur, canneae tegetes, quibus oliva excipitur, & ſi qua ſunt alia, quae nunc memoriam meam refugiunt. Haec

omnia,

omnia & multo plura esse debent: quoniam in usu depereunt & pauciora fiunt; quorum si quid suo tempore defuerit, opus intermittitur. Sed jam quod pollicitus sum, exequar. — Cum primum baccae variare coeperint, & jam quaedam nigrae fuerint, plures tamen albae, sereno caelo manibus distringi olivam oportebit, & substratis tegetibus aut cannis cribrari & purgari. Tum diligenter mundatam protinus in torcular deferri, & integram in fiscinis novis includi, prelisque subjici, ut quantum possit, paullisper exprimatur. Postea resolutis corticulis emolliri debebunt, adjectis binis sextariis integri salis in singulos modios. Et aut regulis, si consuetudo erit regionis, aut certe novis fiscinis sampsae exprimi. Quod deinde primum defluxerit in rotundum labrum (nam id melius est, quam plumbeum quadratum, vel structile gemellar) protinus capulator depleat, & in fictilia labra huic usui praeparata defundat. Sint autem in cella olearia tres labrorum ordines, ut unus primae notae, id est, primae pressurae oleum recipiat, alter secundae, tertius tertiae. Nam plurimum refert non miscere iterationem, multoque minus tertiationem cum prima pressura: quoniam

longe melioris saporis est, quod minore vi preli, quasi lixivum defluxerit. Cum deinde paullulum in labris primis constiterit oleum, eliquare id capulator in secunda labra debebit, & deinde in sequentia usque ad ultima. Nam quanto saepius translatione ipsa ventilatur, & quasi exercetur, tanto fit liquidius & amurca liberatur. Sat erit autem in singulis ordinibus tricena componi labra, nisi vasta fuerint oliveta, & majorem numerum desideraverint. Quod si frigoribus oleum cum amurca congelabitur, plusculo sale cocto utique utendum erit. Ea res resolvit oleum, & separat ab omni vitio. Neque verendum est, ne salsum fiat. Nam quantumcunque adjeceris salis, nihilominus saporem non recipit oleum. Solet autem ne sic quidem resolvi, cum majora frigora incesserunt: itaque nitrum torretur, & contritum inspergitur & commiscetur, ea res eliquat amurcam. Quidam, quamvis diligentes olearii, baccam integram prelo non subjiciunt, quod existimant aliquid olei deperire. Nam cum preli pondus accepit, non sola exprimitur amurca, sed & aliquid secum pinguitudinis attrahit. Illud autem in totum praecipiendum habeo, ut neque fumus, neque fuligo, quamdiu viride oleum conficitur, in torcular admittatur, aut

in cellam oleariam. Nam est utraque res inimica huic rei, peritissimique olearii vix patiuntur ad unam lucernam opus fieri. Quapropter ad eum statum caeli & torcular, & cella olearia constituenda est, qui maxime a frigidis ventis aversus est, quoniam minime vapor ignis desideratur. Dolia autem & seriae, in quibus oleum reponitur, non tantum eo tempore curanda sunt, cum fructus necessitas cogit, sed ubi fuerint a mercatore vacuata, confestim villica debet adhibere curam, ut si quae feces aut amurcae in fundis vasorum subsederint, statim emundentur, & non calidissima lixivia, ne vasa ceram remittant, sed semel atque iterum eluantur: deinde aqua tepida leviter manibus defricentur, & saepius eluantur, atque ita spongia omnis humor assiccetur. Sunt, qui cretam figularem in modum liquidae fecis aqua resolvant, & cum vasa laverint, hoc quasi jure intrinsecus oblinant, & patiantur arescere. Postea cum res exigit, pura eluunt aqua, nonnulli prius amurca, deinde aqua vasa perluunt, & assiccant. Tum considerant, numquid ceram novam dolia desiderent. Nam fere sexta quaque olivitate cerari oportere, antiqui dixerunt. Quod fieri posse non intelligo. Nam

quemadmodum nova vasa, si calefiant, liquidam ceram facile recipiunt, sic vetera non crediderim propter olei succum, ceraturam pati. Quam tamen & ipsam ceraturam nostrorum temporum agricolae repudiaverunt, existimaveruntque satius esse nova dolia liquida gummi perluere, siccataque suffumigare alba cera, ne pallorem capiant. Eamque suffitionem semper faciendam judicant, quotiescunque vel nova vel vetera vasa curantur, & oleo novo praeparantur. Multi, cum semel nova dolia vel serias crassa gummi liverunt, una in perpetuum gummitione contenti sunt. Et sane, quae semel oleum testa combibit, alteram gummitionem non recipit. Respuit enim olei pinguitudo talem materiam, qualis est gummi. — Post mensem Decembrem circa Calendas Januarias eadem ratione, qua superius, distringenda erit olea & statim exprimenda. Nam si reposita in tabulatum fuerit, celeriter concalescet: quoniam hiemalibus pluviis amurcae plus concipit, quae est contraria huic rei. Cavendum est itaque, ne ex ea fiat oleum cibarium. Quod uno modo vitari poterit, si protinus illata de agro bacca commolita & expressa erit, quae sic administrata fuerit, ut supra diximus. Plerique agricolarum crediderunt, si sub tecto bacca

deponatur, oleum in tabulato crescere: quod tam falsum est, quam in area frumenta crescere: idque mendacium vetus ille Porcius Cato sic refellit. Ait enim: in tabulato corrugari olivam, minoremque fieri. Propter quod cum facti unius mensuram rusticus sub tecto reposuerit, & post multos dies eam molere voluerit, oblitus prioris mensurae, quam intulerat, ex alio acervo similiter sepositio, quantum cuique mensurae defuit, supplet, eoque facto videtur plus olei quieta, quam recens bacca reddere, cum longe plures modios acceperit. Attamen si id maxime verum esset, nihilominus ex pretio viridis olei plus quam multitudine mali nummorum contrahitur. Sed & Cato dixit: Et sic quidem quidquid ponderis aut mensurae oleo accedit, si portionem velis in factum adjectae baccae computare, non proventum, sed detrimentum senties. Quapropter dubitare non debemus lectam olivam, primo quoque tempore commolere, preloque subjicere. Nec ignoro etiam cibarium oleum esse faciendum. Nam ubi exesa vermiculis oliva decidit, vel tempestatibus & pluviis in lutum defluxit, ad praesidium aque calidae decurritur, ahenumque calefieri debet, ut immundae baccae

eluantur. Sed id non ferventissima fieri oportet, verum modice calida, quo commodior gustus olei fiat: nam si excoctus est, etiam vermiculorum, caeterarumque immunditiarum saporem trahit. Sed cum fuerit oliva elota, reliqua, sicut supra praecepimus, fieri debebunt. Fiscis autem non iisdem probum & cibarium oleum premi oportebit. Nam veteres ad caducam olivam, novi autem ordinario aptari oleo, semperque, cum expresserint facta, statim ferventissima debent aqua bis aut ter elui: deinde si sit profluens, impositis lapidibus, ut pondere pressi detineantur, immergi: vel si nec flumen est, in lacu, aut piscina quam purissimae aquae macerari, & postea virgis verberari, ut sordes faecesque decidant, & iterum elui, siccarique.

De oleo gleucino.

CAP. LI. Quamvis non erat hujus temporis olei gleucini compositio, tamen huic parti voluminis reservata est, ne parum opportune vini conditionibus interponeretur. Hac autem ratione confici debet. — Vas olearium quam maximum & aut novum, aut certe bene solidum praeparari oportet: deinde per vindemiam musti quam optimi generis & quam recentissimi sextarios sexaginta

cum olei pondo octoginta in id confundi: tum aromata non cribrata, sed ne minute quidem contusa, verum leviter confracta in reticulum junceum aut lineum adjici, & ita cum saxi ponduſculo in olei atque musti partem demitti. Sint autem iis portionibus pensata, quas infra subjicimus, calami, schoeni, cardamomi, xylobalsami, corticis de palma, foeni Graeci vetere vino macerati & postea siccati, atque etiam torrefacti, junci radicis, tum etiam iridis Graecae, nec minus anisi Aegyptii pari pondere, id est, uniuscujusque libram & quadrantem, ut supra diximus, reticulo inclusa demittito & metretam linito. Post septimum diem aut nonum per se metretae, si quid fecis aut spurcitiae faucibus inhaerebit, manu eximito & detergito: deinde oleum eliquato, novisque vasis recondito. Mox reticulum eximito, & aromata in pila quam mundissime contundito, tritaque in eandem metretam reponito, & tantundem olei, quantum prius, infundito & obturato, in sole ponito. Post septimum diem oleum depleto, & quod reliquum est musti, picato cado recondito. Nam id si non exhauseris medicamentum, dabitur potatum imbecillis bubus & caetero pecori. Oleum autem se-

cundarium non insuavis odoris quotidianam unctionem praebere poterit dolore nervorum laborantibus.

Oleum ad unguenta quemadmodum facias.

CAP. LII. Oleum ad unguenta sic facito. Ante quam oliva nigrescat, cum primum decolorari coeperit, nec tamen adhuc varia fuerit, maxime Liciniam, si erit; si minus, regiam; si nec haec fuerit, tunc Culminiam baccam manu stringito, & statim purgatam prelo integram subjicito & amurcam exprimito: deinde suspensa mola olivam frangito, eamque vel in regulas, vel in novo fisco adjicito, subjectamque prelo sic premito, ne vasa intorqueas, sed tantum ipsius preli pondere quantulumcunque exprimi patiaris. Deinde cum sic fluxerit, protinus capulator amurca separet, & diligenter seorsum in nova labra transferat, ejusque eliquet reliquum olei. Quod postea fuerit expressum, poterit ad escam vel cum alia nota mistum, vel per se approbari.

De salsura suillae carnis.

CAP. LIII. Hactenus de oleo abunde diximus, nunc ad minora redeamus. Omne pecus, & praecipue suem pridie quam occidatur, potione prohiberi oportet, quo sit caro

ficcior. Nam si biberit, plus humoris salsura habebit. Ergo sitientem cum occideris, bene exossato: nam ea res minus vitiosam, & magis durabilem salsuram facit. Deinde cum exossaveris, cocto sale, nec nimium minuto, sed suspensa mola infracto diligenter salito, & maxime in eas partes, quibus ossa relicta sunt, largum salem infarcito, compositisque supra tabulatum tergoribus aut frustis vasta pondera imponito, ut exsanietur. Tertio die pondera removeto, & manibus diligenter salsuram fricato. Eamque cum voles reponere, minuto & trito sale aspergito, atque ita reponito: nec desieris ejus quotidie salsuram fricare, donec matura sit. Quod si serenitas fuerit iis diebus, quibus perfricatur caro, patieris eam sale consperfam esse novem diebus: at si nubilum aut pluviae, undecima vel duodecima die ad lacum salsuram deferri oportebit, & salem prius excuti, deinde aqua dulci diligenter perlui, necubi sal inhaereat, & paullulum afficcatam in carnario suspendi, quo modicus fumus perveniat, qui, si quid humoris adhuc continetur, siccare eum possit. Haec salsura luna decrescente maxime per brumam, sed etiam mense Februario ante Idus commode fiet. — Est & alia salsura,

quae etiam locis calidis omni tempore anni poteſt uſurpari, quae talis eſt: cum [ab] aqua pridie ſues prohibiti ſunt, poſtero die mactantur, & vel aqua candente, vel ex tenuibus lignis flammula facta glabrantur, (nam utroque modo pili detrahuntur) caro in libraria fruſta conciditur: deinde in ſeriam ſubſternitur ſal coctum, ſed modice (ut ſupra diximus) infractum: deinde offulae carnis ſpiſſe componuntur, & alternis ſal ingeritur. Sed cum ad fauces ſeriae perventum eſt, ſale reliqua pars repletur, & impoſitis ponderibus in vas comprimitur: eaque caro ſemper conſervatur, & tanquam ſalſamentum in muria ſua permanet.

Rapa & napos quemadmodum condias.

Cap. LIV. Raporum quam rotundiſſima ſumito, eaque, ſi ſunt lutoſa, detergito & ſummam cutem novacula decerpito: deinde (ſicut conſueverunt ſalgamarii) decuſſatim ferramento lunato incidito. Sed caveto, ne uſque ad imum praecidas rapum. Tum ſalem inter inciſuras raporum non nimium minutum aſpergito, & rapa in alveo aut ſeria componito, & ſale pluſculo aſperſa triduo finito, dum exudent. Poſt tertiam diem mediam ſibram rapi guſtato, ſi receperit ſalem.

Deinde cum videbitur satis recepisse, exemtis omnibus, singula suo sibi jure eluito: vel si non multum liquoris fuerit, muriam duram adjicito, & ita eluito: & postea in quadratam cistam vimineam, quae neque spisse, solide tamen & crassis viminibus contexta sit, rapa componito: deinde sic aptatam tabulam superponito, ut usque ad fundum, si res exigat, intra cistam deprimi possint. Cum autem eam tabulam sic aptaveris: gravia pondera superponito & finito nocte tota & uno die siccari. Tum in dolio picato fictili, vel in vitreo componito, & sic infundito sinapi & aceto, ut a jure contegantur. Napi quoque, sed integri, si minuti sunt, majores autem insecti, eodem jure, quo rapa condiri possunt: sed curandum est, ut haec utraque antequam caulem aut cymam faciant, dum sunt tenera, componantur. — Napos minutos integros, aut rursus amplos in tres aut quatuor partes divisos in vas conjicito, & aceto infundito, salis quoque cocti unum sextarium in congium aceti adjicito. Post trigesimum diem uti poteris.

Sinapin quemadmodum facias.

Cap. LV. Semen sinapis diligenter purgato & cribrato: deinde aqua frigida eluito,

& cum fuerit bene lotum, duabus horis in aqua finito. Postea tollito, & manibus expressum in mortarium novum aut bene emundatum conjicito & pistillis conterito. Cum contritum fuerit, totam intritam ad medium mortarium contrahito, & comprimito manu plana. Deinde cum compresseris, scarificato, & impositis paucis carbonibus vivis aquam nitratam suffundito, ut omnem amaritudinem ejus, & pallorem exsaniet. Deinde statim mortarium erigito, ut omnis humor eliquetur. Post hoc album acre acetum adjicito & pistillo permisceto, colatoque. Hoc jus ad rapa condienda optime facit. Caeterum si velis ad usum conviviorum praeparare, cum exsaniaveris sinapi, nucleos pineos quam recentissimos & amygdalum adjicito, diligenterque conterito infuso aceto. Caetera, ut supra dixi, facito. Hoc sinapi ad embammata non solum idoneo, sed etiam specioso uteris: nam est candoris eximii, si fit curiose factum.

Oleris atri & siseris radicem quemadmodum condias.

Cap. LVI. Priusquam olusatrum coliculum agat, radicem ejus exerito mense Januario vel etiam Februario, & diligenter defri-

cato, nequid terreni habeat, & in aceto & sale componito: deinde post diem trigesimum eximito, & corticem ejus delibratum abjicito. Caeterum medullam ejus concisam in fideliam vitream vel novam fictilem conjicito, & adjicito jus, quod, sicut infra scriptum est, fieri debebit: sumito mentam & uvam passam, & exiguam cepam aridam, eamque cum torrido farre & exiguo melle subterito: quae cum fuerit bene trita, sapae vel defruti duas partes, & aceti unam permisceto: atque ita in eandem fideliam confundito, eamque operculo contectam pelliculato. Cum deinde uti voles, cum suo jure concisas radiculas promito & oleum adjicito. Hoc ipso tempore siseris radicem poteris eadem ratione, qua supra, condire: sed cum exegerit usus, eximes de fidelia & oxymelli, cum exiguo oleo superfunde.

Moretum oxyporum vel (ut alii) oxygarum quemadmodum componas.

Cap. LVII. Addito in mortarium satureiam, mentam, rutam, coriandrum, apium, porrum sectivum, aut si non erit, viridem cepam, folia lactucae, folia erucae, thymum viride vel nepetam, tum etiam viride puleium & caseum recentem, & salsum: ea

omnia pariter conterito, acetique piperati exiguum permiſceto. Hanc miſturam cum in catillo compoſueris, oleum ſuperfundito. Cum viridia, quae ſupra dicta ſunt, contriveris, nuces juglandes purgatas, quantum ſatis videbitur, inſerito, acetique piperati exiguum permiſceto, & oleum infundito. Seſamum leviter torrefactum cum iis viridibus, quae ſupra dicta ſunt, conterito. Item aceti piperati exiguum permiſceto, cui ſupra oleum ſuperfundito. — Caſeum gallicum, vel cujuſcunque notae volueris, minutatim concidito & conterito, nucleoſque pineos, ſi eorum copia fuerit; ſi minus, nuces avellanas torrefactas ademta cute vel amygdalas, aeque ſupra condimenta, pariter miſceto, acetique piperati exiguum adjicito & permiſceto, compoſitumque oleo ſuperfundito. Si condimenta viridia non erunt, puleium aridum, vel thymum, vel origanum, aut aridam ſatureiam cum caſeo conterito, acetumque piperatum & oleum adjicito. Poſſunt tamen haec arida, ſi reliquorum non ſit poteſtas, etiam ſingula caſeo miſceri. — Piperis albi, ſi ſit; ſi minus, nigri unciae tres, apii ſeminis unciae duae, laſeris radicis, quod σίλφιον Graeci vocant, ſeſcunciam, caſei ſextantem:

haec contusa & cribrata melli permisceto, & in olla nova servato: deinde cum exegerit usus, quantulumcunque ex eo videbitur, aceto & garo diluito. — Ligustici unciam, passae uvae detractis vinaceis sextantem, piperis albi vel nigri quadrantem: haec, si majorem impensam vitabis, possunt melli admisceri & ita servari. At si pretiosius oxyporum facere voles, haec eadem cum superiore compositione miscebis, & ita in usum repones: quod si etiam [cum] laser non habueris, pro silphio, mellis adjicies pondo semunciam.

Clausulam peracti operis mei, P. Silvine, non alienum puto indicem lecturis, [si modo fuerint, qui dignentur ista cognoscere:] nihil dubitasse me, pene infinita esse, quae potuerint huic inseri materiae: verum ea, quae maxime videbantur necessaria, memoriae tradenda censuisse. Nec tamen canis natura dedit cunctarum rerum prudentiam. Nam etiam quicunque sunt habiti mortalium sapientissimi, multa sciisse dicuntur, non omnia.

L. J. M. COLVMELLAE
LIBER
DE ARBORIBVS

CAPVT I.

De vitiario faciendo.

QVONIAM de cultu agrorum abunde primo volumine praecepisse videmur, non intempestiva erit arborum virgultorumque cura, quae vel maxima pars habetur rei rusticae. Placet igitur, sicuti Virgilio, nobis quoque duo esse genera surculorum: quorum alterum sua sponte gignitur, alterum cura mortalium procedit. Illud, quod non ope humana provenit, materiae est magis aptum: hoc, cui labor adhibetur, idoneum fructibus. Unum hoc itaque praecipuum est, atque id ipsum genus tripartito dividitur: nam ex surculo vel arbor procedit, ut olea, ficus; vel frutex, ut rosae, arundines; vel tertium quiddam, quod neque arborem, neque fruticem proprie dixerimus, sicuti est vitis. Arborum & fruticum docebimus cultum, si prius de vitibus praeceperimus. Qui vineam vel arbustum constituere volet, seminaria

prius

prius facere debebit: sic enim sciet cujus generis vitem positurus sit. Nam quae pretio parata disponitur, certam generositatis fidem non habet: quoniam dubium est, an is, qui vendidit, legendis seminibus adhibuerit diligentiam: tum etiam quod ex longinquo petitur, parum familiariter nostro solo venit, propter quod difficilius convalescit alienum exterae regionis. Optimum est itaque eodem agro, quo vitem dispositurus es, vel certe vicino facere seminarium: idque multum refert loci natura. Nam si colles vineis vel arbustis occupaturus es, providendum est, ut siccissimo loco fiat seminarium, & jam quasi ab incunabulis vitis exiguo assuescat humori: aliter cum transtuleris de humido in aridum locum, viduata pristino alimento deficiet. At si campestres & uliginosos agros possidebis, proderit quoque seminarium simili loco facere, & vitem largo consuescere humori. Namque exilis, cum in aquosum agrum transfertur, utcunque putrescit. Ipsum autem agrum, quem seminario destinaveris planum & succosum, sat erit bipalio vertere: quod vocant rustici sestertium. Ea repastinatio altitudinis habet plus sesquipede, minus tamen quam duos pedes. Ejusmodi bipalio jugerum

agri vertitur operis quinquaginta. Collem autem & clivum modum jugeri continentem, si ne minus duobus pedibus alte, repastinabis operis sexaginta: vel si eodem loco, quo vineam ordinaturus es, facere voles seminarium, tribus pedibus alte repastinabis jugerum operis octoginta: ita tamen si neque lapis, neque tophus, aut alia materia difficilior intervenerit: quae res quot operas absumat, parum certum est. Nos autem de terreno loquimur.

Qualia semina & quando legas.

Cap. II. Peracta repastinatione, mense Februario, vel prima parte Martii, semina legito. Sunt autem optima, quae de vitibus notatis leguntur. Nam cui cordi est bona seminaria facere, circa vindemiam vites, quae & magnum & incorruptum fructum ad maturitatem perduxerint, rubrica cum aceto (ne pluviis abluatur) permista denotat, ne hoc uno tantummodo anno facit, sed continuis tribus vel pluribus vindemiis easdem vites inspicit, an perseverent esse foecundae. Sic enim manifestum est generositate vitium, non anni ubertate fructum provenire. Si compluribus vindemiis eundem tenorem servarint, ex ejusmodi vitibus lecta semina mul-

tum bonumque vinum praebebunt. Namque qualiſcunque generis uvae, quae incorruptae ad maturitatem proveniunt, longe melioris ſaporis vinum faciunt, quam quae praeripiuntur aeſtu, aut alia de cauſa.

Quemadmodum ſemina eligas, & de habitu terrae.

Cap. III. Semina autem eligito grandi acino, tenui folliculo, paucis minutiſque vinaceis, dulci ſapore. Optima habentur a lumbis; ſecunda ab humeris; tertia ſumma in vite lecta, quae celerrime comprehendunt, & ſunt feraciora, ſed & quam celerrime feneſcunt. Pampinaria ſarmenta deponi non placet, quia ſterilia ſunt. Locis pinguibus & planis, & humidis, praecoques vites ſerito, raris acinis, brevibus nodis, imbecillas: nam tali generi vitium ejuſmodi ager aptus eſt. Locis aridis, & macris, & ſiccis, vitem ſere natura feracem & validam, crebriſque acinis. Quod ſi pingui agro validas vites depoſueris, pampinis magis eluxuriabuntur, & qualemcunque fructum tulerint, ad maturitatem non perducent: rurſus imbecillae exili agro celeriter deficient, exiguumque fructum dabunt. Unumquodque genus vitium ſeparatim ſerito: ita ſuo quodque tem-

pore putabis, & vindemiabis. Semina novella cum vetere sarmento depositа cito comprehendunt, & valenter crescunt; sed celeriter seneſcunt: at quae sine vetere sarmento panguntur, tardius convaleſcunt; sed tardius deficiunt. Semina quam recentissima terrae mandare convenit. Si tamen mora intervenerit, quo minus statim serantur, quam diligentissime obrui tota oportet eo loco, unde neque pluvias, neque ventos sentire possint. Plantaria facito ab exoriente, & a decima luna, & a vigesima. Haec melior est vitibus satio. Sed cum seris, frigidos ventos vitato. Malleolum sic deponito. Virgam malleolarem non amplius quam sex gemmarum esse convenit, ita tamen [sunt] si brevia internodia habent. Ejus imam partem quam in terram demissurus es, acutissima falce juxta nodum, sic ne gemmam laedas, rotunda plaga amputato, & statim simo bubulo linito: tum in terram bene pastinatam & stercoratam rectum sarmentum defigito, ita ne minus quatuor gemmae abscondantur. Pedale quoquoversus spatium sat erit inter semina relinqui: cum comprehenderint, identidem pampinentur, ne plura sarmenta quam debent, enutriant. Item quam saepissime fodiantur: ferro

ne tangantur. Vigesimo & quarto mense resecentur: post trigesimum & sextum mensem transferantur. — In agro requieto vineam ponito. Nam ubi vinea fuerit, quod citius decimo anno severis, aegrius comprehendet, nec unquam roborabitur. Agrum antequam vineis obseras, explorato qualis saporis sit: talem enim etiam gustum vini praebebit. Sapor autem (sicuti primo docuimus volumine) comprehendetur, si terram aqua diluas, & cum colaveris, tum demum aquam deguste. Aptissima vitibus terra est arenosa, sub qua consistit dulcis humor: probus consimilis ager, cui subest tophus: aeque utilis congesta & mota terra. Sabulum quoque cui subest dulcis argilla, vitibus convenit. Omnis autem, qui per aestatem finditur ager, vitibus arboribusque inutilis. Terra inferior alit vitem & arborem; superior custodit. Saxa summa parte terrae, & vites & arbores laedunt, ima parte refrigerant, & mediocri raritudine optima est vitibus terra: sed ea, quae transmittit imbres, aut rursus in summo diu retinet, vitanda est. Utilissima est autem superior modice rara, circa radices densa. Montibus cliviisque difficulter vineae convalescunt, sed firmum probumque saporem vini prae-

bent. Humidis & planis locis robuſtiſſimae, ſed infirmi ſaporis vinum, nec perenne faciunt. Et quoniam de ſeminibus atque habitu ſoli praecepimus, nunc de genere vinearum diſputabimus.

De generibus vinearum.

Cap. IV. Vites maxime gaudent arboribus, quia naturaliter in ſublime procedunt, tum & materias ampliores creant, & fructum aequaliter percoquunt. Hoc genus vitium arbuſtivum vocamus, de quo pluribus ſuo loco dicemus. Vinearum autem fere genera in uſu tria ſunt, jugata, humi projecta, & deinde tertia, quae eſt a terra ſubrecta, more arborum in ſe conſiſtens. Id genus comparatum jugatae quadam parte deficitur, quadam ſuperat. Jugata plus aëris recipit, & altius fructum fert, & aequalius concoquit, ſed difficilior eſt ejus cultus: at haec ita conſtituta eſt, ut etiam arari poſſit, eoque ubertatem majorem conſequitur, quod ſaepius & minore impenſa excolitur. At quae protinus in terram projecta eſt, multum, ſed non bonae notae vinum facit. Vinea optime repaſtinato agro reponitur, nonnunquam tamen vel melius quibuſdam locis, ſulcis committitur: interdum etiam ſcrobibus deponi-

tur. Sed, ut dixi, repastinabitur jugerum in altitudinem pedum trium operis octoginta; sulcum autem terrenum pedum duorum [altum, &] longum septuaginta, una opera effodit; scrobes ternarios, id est, quoquoversus pedum trium, una opera facit XVIII. Vel si cui cordi est laxius vites ponere, scrobes quaternarios, id est, quoquoversus pedum quaternum, una opera XII facit; vel bipedaneos quoquoversus una opera XX effodit. Curandum autem est, ut locis aridis & clivosis altius vites deponantur, quam si humidis & planis. Item si scrobibus aut sulcis vineam posituri erimus, optimum erit ante annum scrobes vel sulcos facere. Vinea, quae angustissime conseritur, quoquoversus quinque pedum spatio interposito ponitur; laxius vero inter pedes VII vel VIII; sed quae rarissime (ut etiam facile arari possit) inter denos pedes constituitur. Haec positio vinearum, modum sine dubio agri majorem occupat, sed valentissima & fructuosissima est. Cum semina depones, imum scrobem vel sulcum bidentibus fodito, mollemque reddito. Vitem, quam ponis, fac ut ad Orientem spectet adminiculo religata. In imo scrobe lapides circa pondo quinque ita ponito,

ne vitem premant, sed tamen juxta radices sint. Praeterea post haec vinaceae heminam uvae albae in nigra, uvae nigrae in alba ponito, atque ita scrobem vel sulcum cum stercorata terra ad medium completo. Triennio deinde proximo paullatim scrobem vel sulcum usque in summum completo, sic vites consuescent radices deorsum agere. Spatium autem radicibus, qua repant, lapides praebent, & hieme aquam repellunt, aestate humorem praebent, vinaceae [que] & radices agere cogunt. Quoniam praecepimus quemadmodum vites ponendae sint, nunc culturam earum docebimus.

Quemadmodum vites coli debeant.

Cap. V. Vineam novellam omneis gemmas agere finito: simul atque pampinus instar quatuor digitorum erit, tum demum pampinato, & duas materias relinquito: alteram quam vitis constituendae causa submittas, alteram subsidio habeas, si forte illa ordinaria interierit: hanc rustici custodem vocant. Proximo deinde anno, cum putabis vitem, meliorem unam virgam relinquito. Tertio anno vitem, in quam formam voles, dum tenera est componito. Si jugatam erimus facturi, unam materiam submittito, ita

ut duas gemmas, quae sunt proximae a terra, falce acuta radas, ne possint germinare: deinde tres sequentes relinquas, reliquam partem virgae amputes. Sin autem vitem in se consistere voles, sicuti arbori brachia submitti patieris, & dabis operam, ut in orbem quam rectissime formetur. Nam praeterquam quod speciem habet sic composita, tum etiam minus laborat, cum undique velut aequilibrio stabilita in se requiescit. Sat erit autem cum primo brachia submittentur, singulas gemmas singulis sarmentis relinqui, ne protinus onere gravetur. Post hanc putationem lectis sarmentis, bidentibus alte & aequaliter vineam fodito: vel, si ita late dispositа erit, arato. Ab Idibus Octobris ablaqueare incipito, ante brumam ablaqueatam habeto. Per brumam vitem ne colito, nisi si voles eas radices, quae in ablaqueatione apparebunt, persequi. Tum demum optime amputabis, sed ita ne codicem laedas, sed potius instar digiti unius a matre relinquas, & ita radicem reseces. Nam quae propius abraditur, praeterquam quod vulnus viti praebet, eoque nocet, tum etiam de ipsa cicatrice plures radices prorepunt. Itaque optimum est exiguam partem relinqui, atque ita summas partes, quas ae-

ſtivas ruſtici appellant, reſecare: quae ſic reſectae inoleſcunt, nec ultra vitibus obſunt. Poſſunt etiam ſoboles per brumam caedi, eo magis quod frigoribus extirpatae minus recreantur. Peracta ablaqueatione ante brumam tertio quoque anno macerati ſtercoris, ne minus ſextarios binos ad radices vitium poſuiſſe conveniet, praeterquam columbinum; quo ſi quid amplius quam heminam poſueris, viti nocebit. Poſt brumam deinde ablaqueationem circumfodito. Ante aequinoctium vernum, quod eſt octavo Cal. April. ablaqueationem adaequato. Poſt Idus Aprilis terram ad vitem aggerato. Aeſtate deinde quam potes ſaepiſſime occato. Jugerum vineae quinque operis ablaqueatur, quinque foditur, tribus occatur. Jugerum valentis & jam conſtitutae vineae, quatuor operis putatur, ſex alligatur. Arbuſto nihil ejuſmodi poteſt apte finiri, quoniam inaequalitas arborum non patitur operis juſta comprehendi. Quibuſdam placet vitem proximo anno translatam non putare, ſequenti deinde anno purgare, & unam virgam, quam ſubmittamus, ad tertiam gemmam reſecare: tertio deinde ſi vitis recte convaluerit, una plus gemma ſubmittere: quarto duas gemmas proximae puta-

tioni adjicere, atque ita quinto demum anno vitem jugare. Hunc eundem ordinem culturae nos quoque experti comprobavimus.

De resecanda vinea vetere & propaganda.

CAP. VI. Veterem vineam si in summo radices habebit, resecare nolito: alioquin etiam novella vinea, quae ex resectione enata fuerit, vim inutilem habebit, summa parte terrae natantibus radicibus. Quamobrem neque fructum uberem percipies, & nihilominus celeriter consenescet. Ejusmodi itaque vinea, si non aridos in corpore habet truncos, & flecti potest, factis sulcis optime sternitur, atque ita renovellatur. Sin autem eo usque exaruit, ut curvari non possit, primo anno summatim, ita ne radices eruas, aut laedas, ablaqueato, & stercus ad radices addito, atque ita putato, ut paucas & certas materias relinquas, & fodias diligenter, & saepius pampines, ne omnino supervacua sarmenta nutriat. Sic exculta, firmas & longas materias creabit, quas sequenti anno scrobibus inter ordines factis propagabis: ac deinde per triennium post, dum convalescet, saepius fodies, matremque ipsam enecabis, nihil in posterum prospiciens ei quam sublaturus es. In postremum annum matrem radicitus tol-

les, atque ita novellam vineam ordinabis. Sin autem vetus vinea dumtaxat generis boni radices in alto ſitas habebit, ita ut ablaqueatae non conſpiciantur, eam vineam circa Cal. Martias antequam reſeces ablaqueato, & protinus cum alte ablaqueaveris, reſecato. Quatuor digitos ab radicibus truncum relinquito, & ſi fieri poterit, juxta aliquem nodum ferrula deſecato, & plagam acutiſſimo ferro delevato. Deinde minutam terram mediocriter ſtercoratam ita ſuperponito, ut adobruto trunco, ne minus tres digiti terrae ſuper plaga ſint. Hoc iccirco, ne ſole inareſcat, & ut melius materias det ex percepto humore, quem terra praebet. At quae mali generis & infructuoſa vinea eſt, ſummaſque partes & mucidas & exeſas habet, ſi radices ejus ſatis alte poſitae ſunt, optime inſeretur ita, ut ablaqueata & nudata pars ima ſecundum terram ſic amputetur, ne cum aggerata fuerit, ſupra terram extet.

De propagatione.

Cap VII. Propagationum genera tria ſunt in uſu maxime: unum, quo virga edita a matre ſulco committitur: alterum, quo ipſa mater proſternitur, atque in plureis palos per ſuas virgas dividitur: tertium, quo vitis ſcin-

ditur in duas vel tres partes, si diversis ordinibus diducenda est. Hoc genus tardissime convalescit, quia vitis divisa medullam amittit. Et quoniam genera proposuimus, unumquodque qualiter faciendum sit, demonstremus. Virgam cum a matre in terram deprimere voles, scrobem quoquoversus quatuor pedum facito ita, ut propago non laedatur alterius radicibus. Deinde quatuor gemmas, quae in imum scrobem perveniant, relinquito, ut ex iis radices citentur. Reliquam partem, quae continens matri est, abradito, ne supervacua sarmenta procreet. Diversae autem, quae supra terram extare debent, ne passus fueris plus quam duas, aut ut maxime tres gemmas habere. Reliquas, quae in terram absconduntur, exceptis quatuor imis, fac abradas, ne in summo radices vitis citet. Hoc modo propagata celeriter convalescet: & tertio anno a matre separabitur. Sin autem ipsam vitem sternere voles, juxta radicem ita, ne ipsam laedas, curiose fodito, & vitem ita supplantato, ne radicem abrumpas. Cum eam straveris, & videris quousque possit pertingere, sulcum facies unum, in quem vitem integram demittas: deinde ex eo sulco, quasi ramos fossarum facies, per quos, uti quae-

que virga poſtulaverit, propagetur, atque ita terra adoperies. Sin autem vitis exiguam materiam habebit, & in diverſos ordines diducenda erit, neque aliter potuerit palos, ad quos perducitur, pertingere, quam ut diffluat: curabis ut quam acutiſſima falce ab ea parte, qua bifurca eſt, findas, & eodem ferro acuto plagam emendes, ſicubi inaequaliter findi videbitur, ſic diducta poterit in plures ordines dividi. — Non inutilis eſt etiam illa propagatio, quam nos reperimus, ſi quando in ordinem vitis deeſt, neque eſt tam procera virga, quae cum in imum ſcrobem demiſſa fuerit, retorqueri & erigi ſupra terram poſſit: brevitatem ne reformidaveris, ſed qualemcunque virgam, cujus cacumen in imum ſcrobem pervenit, deprimito & obruito: deinde gemmas, quae ſecundum ipſam matrem ſunt, ſubmittito, ut materias a ſuperiore parte citent. Tum demum poſt triennium a matre amputato, & ad ſuum palum eam partem, quam a matre praecideris, reducito, & caput vitis facito. Propaginis ſcrobem ne minus triennio paullatim completo: ſummas radices praecidito: crebro fodito.

De insitionibus fructuosis, quae vites foecundas faciunt.

CAP. VIII. Cum vitem inserere voles, optimi generis sarmenta fructuaria, tum cum gemmas agere incipient, vento austro a matre praecidito. Sarmentum, quod inseris, de summa vite sit rotundum, bonis crebrisque nodis. Tres deinde nodos integerrimos relinquito: infra tertiam gemmam ex utraque parte duorum digitorum spatium in modum cunei tenuissime scalpello acuto, ita ne medullam laedas, adradito. Vitem deinde, quam insiturus es, resecato & plagam levato, atque ita findito, & paratos surculos in fissuram demittito, eatenus qua adrasi sunt, ita ut cortex surculi corticem vitis aequaliter contingat. Quidquid inserueris vimine vel ulmi libro diligenter ligato, atque luto subacto paleato oblinito, operitoque plagam, & ita alligato, ne aqua ventusve penetrare possit: deinde supra lutum muscum imponito, & ita religato: ea res praebet humorem, nec inarescere finit. Infra insitionem & alligaturam falce acuta leviter vitem vulnerato ex utraque parte, ut ex his potius plagis humor defluat, quam ex insitione ipsa abundet, nocet enim nimius humor, nec patitur surculos

insertos comprehendere. Quibusdam antiquorum terebrari vitem placet, atque ita leviter adrasos surculos demitti: sed nos meliore ratione hoc idem fecimus. Nam antiqua terebra scobem facit, propter hoc urit eam partem quam perforat: perusta autem perraro unquam comprehendit insertos surculos. Nos rursus terebram, quam gallicam dicimus, huic insitioni aptavimus: ea excavat, nec urit, quod non scobem, sed ramenta facit. Itaque cavatum foramen cum purgavimus, undique adrasos surculos inserimus, atque ita circumlinimus. Talis insitio facillime convalescit. Igitur secundum Aequinoctium perfectam vitium insitionem habeto: humida loca, de uva alba: sicca, de nigra inserito. — Infructuosas vites foecundas sic facito: vites, quae exiguum dant fructum, aceto acri cum cinere rigato, ipsumque codicem eodem cinere linito. — At si quae fructum, quem ostendunt, ad maturitatem non perducunt, sed priusquam mitescant uvae, inarescunt, hoc modo emendabuntur. Cum scipiones amplitudinem acini habuerint, radice tenus vitem praecidito, plagam acri aceto pariter ac lotio veteri permista terra linito, eodemque radices rigato, saepe fodito. Haec materias citant, uvaeque succum perferunt.

CAP. IX.

Ut uva complura genera acinorum habeat.

CAP. IX. Est etiam genus insitionis, quod uvas tales creat, in quibus varii generis coloriſque reperiuntur acini. Hoc autem ratione tali efficitur: quatuor, vel quinque, ſive etiam plures voles, virgas diverſi generis ſumito, eaſque diligenter & aequaliter compoſitas colligato, deinde in tubulum fictilem vel cornu arcte inſerito, ita ut aliquantum extent ab utraque parte, eaſque partes, quae extabunt, reſolvito, in ſcrobem deinde imponito, & terra ſtercorata obruito & rigato, donec gemmas agant. Cum inter ſe virgae cohaeſerint, poſt biennium aut triennium facta jam unitate, diſſolves tubulum, & circa medium fere crus, ubi maxime videbuntur coiſſe, vitem ſerra praecidito, & plagam levato, terramque minutam aggerato, ita ut tribus digitis alte plagam operiat: ex eo codice cum egerit coles, duos optimos ſubmittito, reliquos dejicito: ſic uvae naſcentur, quales propoſuimus. Vt autem uvae ſine vinaceis naſcantur, malleolum ſcindito ita, ne gemmae laedantur, medullamque omnem eradito, tum demum in ſe compoſitum colligato, ſic ne gemmas allidas, atque ita terra ſtercorata deponito & rigato. Cum coles

agere coeperit, saepe & alte refodito. Adulta vitis tales uvas sine vinaceis creabit.

Vindemiam quomodo putes.

Cap. X. Vindemia facta statim putare incipito ferramentis quam optimis & acutissimis: ita plagae leves fient, neque in vite aqua consistere poterit: quae simulatque immorata est, corrumpit vitem, vermesque & alia creat animalia, quae materiam exedunt. Plagas autem rotundas facito: nam celerius cicatricem ducunt. Sarmenta lata, vetera, male nata, contorta, omnia haec praecidito: novella & fructuaria, & interdum sobolem idoneam, si jam superficies parum valebit, submittito, brachiaque conservato. Quam celerrime poteris, putationem perficito. Arida & vetera, falce quae amputari non possunt, acuta dolabra abradito. In agro macro & sicco vineam imbecillam a bruma amputato: quam partem non deputaveris, circa Calen. Febr. repetito: ab Idibus Decemb. ad Idus Januarias ferro tangi vitem & arborem non convenit. Cum vitem putabis, inter duas gemmas secato: nam si juxta ipsam gemmam secueris, laborabit, nec materiam citabit. Cicatrix autem semper deorsum spectet, ita neque aqua neque sole laborabit, humorem-

que recte capiet. In agro craſſo, validaque vinea plures gemmas & palmas relinquito, in exili pauciores. Sicubi in vite brachium deſiderabis, falce acuta ſemel aut bis eo loco alte inſtar digiti mucrone ferito. Brachium quamvis longum cave totum tollas, niſi ſi totum aruerit. — Vineam novellam ante brumam ablaqueatam habeto, ut omnes imbres limumque concipiat. Vites, arboreſque, quo citius ablaqueaveris, erunt valentiores. Sed quaecunque in clivis erunt poſitae, ita ablaqueandae ſunt, ut a ſuperiore parte ſecundum codicem lacuſculi fiant, ab inferiore autem pulvinuli altiores excitentur, quo plus aquae limique contineant. Vinea vetus neque ablaqueanda eſt, ne radices, quas in ſummo habet, inareſcant, neque aranda, ne radices abrumpantur. Bidentibus ſaepe, & alte fodito aequaliter, & ſtercore vel palea conſpergito ſolum ante brumam, vel cum circum ipſam vitem ſummatim ablaqueaveris, ſtercorato.

De pampinatione.

Cap. XI. Vineam quam bene putare, tam diligenter pampinare utile eſt: nam & materiae, quae fructum habent, melius convaleſcunt, & putatio ſequentis anni expeditius, tum etiam vitis minus cicatricoſa fit: quo-

niam quod viride & tenerum decerpitur, protinus convaleſcit. Super haec quoque melius uvae matureſcunt. Ante dies decem, quam vinea florere incipit, pampinatam habeto. Quidquid ſupervacui enatum fuerit, tollito. Quod in cacumine aut in brachiis natum erit, decerpito, duntaxat quae uvam non habebunt. Cacumina virgarum, ne luxurientur, demutilato. Uvas, quae meridiem aut occidentem ſpectabunt, ne perurantur, ſuo ſibi pampino tegito.

De foſſura.

Cap. XII. Simulatque uva variari coeperit, fodito tertiam foſſuram: & cum jam matureſcet, ante meridiem, priuſquam calere incipiet; & cum deſierit, poſt meridiem fodito, pulveremque excitato: ea res & a ſole, & a nebula maxime uvam defendit. Lutulentam terram neque arare, neque fodere oportet, quia valde dureſcit & finditur. Bidentibus terram vertere utilius eſt, quam aratro. Bidens aequaliter totam terram vertit: aratrum praeterquam quod ſcamna facit, tum etiam boves, qui arant, aliquantulum virgarum, & interdum totas vites frangunt. Finis autem fodiendi vineam nullus eſt: nam quanto ſaepius foderis, tanto uberiorem fructum reperies.

Ne rubigo vineam vexet.

CAP. XIII. Palearum acervos inter ordines verno tempore positos habeto in vinea. Cum frigus contra temporis consuetudinem intellexeris, omneis acervos incendito, ita fumus nebulam & rubiginem removebit.

Ne formica vitem ascendat.

CAP. XIV. Lupinum terito, & cum fracibus miscето, eoque imam vineam circumlinito: vel bitumen cum oleo coquito, eo quoque imas vites tangito, formicae non excedent.

Ne sorices aut volucra vitem laedant.

CAP. XV. Vites, quae secundum aedificia sunt, a soricibus aut muribus infestantur. Id ne fiat, plenam lunam observabimus, cum erit in signo Leonis, vel Scorpionis, vel Sagittarii, vel Tauri, & noctu ad lunam putabimus. Genus est animalis, volucra appellatur, id fere praerodit teneros adhuc pampinos, & uvas: quod ne fiat, falces, quibus vineam putaveris, peracta putatione, sanguine ursino linito: vel si pellem fibri habueris, in ipsa putatione, quoties falcem acueris, ea pelle aciem detergito, atque ita putare incipito. Quoniam de vineis abunde diximus, de arbustis praecipiamus.

De arbuſtis.

CAP. XVI. Vitem maxime opulus alit, deinde ulmus, deinde fraxinus. Opulus, quoniam frondem non idoneam habet, a pleriſque improbatur. Ulmus autem, quam Atiniam vocant ruſtici, generoſiſſima eſt & laetiſſima, multamque frondem habet: eaque maxime ſerenda eſt locis pinguibus, vel etiam mediocribus: ſed ſi aſpera & ſiticuloſa loca, arboribus obſerenda erunt, neque opulus, neque ulmus tam idoneae ſunt, quam orni: eae ſilveſtres fraxini ſunt, paullo latioribus tamen foliis quam caeterae fraxini, nec deteriorem frondem, quam ulmi praeſtant. Caprae quidem & oves libentius etiam hanc frondem appetunt. Igitur qui arbuſtum conſtituere volent, ante annum quam deponant arbores, ſcrobes faciant quatuor pedum quoquoverſus. Deinde circa Cal. Mart. in eandem ſcrobem ulmum & opulum, vel fraxinum deponant, ut ſi ulmus defecerit, opulus vel fraxinus locum obtineant. Si autem utraque vixerint, altera eximatur, & alio loco deponatur. Arbuſtum inter quadragenos pedes diſpoſitum eſſe convenit: ſic enim & ipſae arbores, & appoſitae vites melius convaleſcent, fructumque meliorem dabunt. Se-

getes etiam, quae in eo erunt, minus umbra laborabunt. Arborem, quam depoſueris, ſaepius circumfodito, quo celerius adoleſcat: & citra triennium ferro ne tetigeris. Completis ſex & triginta menſibus, ad recipiendam vitem formabis, & ſupervacuos ramos amputabis, alterna brachia in modum ſcalarum relinquens, alterniſque annis, ſexto anno, ſi jam firma videbitur, maritabis hoc modo. Ab ipſo arboris crure pedale ſpatium intermittito, deinde ſulcum in quatuor pedes longum, in tres altum, in dupondium & ſemiſſem latum cum feceris, patiere minime duobus menſibus eum tempeſtatibus verberari. Tum demum circa Cal. Martias vitem, de ſeminario, ne minorem quidem decem pedum ſternito & adminiculato, arborique jungito: eam proximo anno ne putaveris: tertio vero ad unam virgam redigito, paucaſque gemmas relinquito, ne antequam invaluerit, in altitudinem repat: deinde ubi amplum incrementum habuerit, per omnia arboris tabulata diſponito ejus materias, ita tamen ne vitem oneres, ſed certa & robuſtiſſima flagella ſubmittas. Arbuſtivam vitem quam putare, tam alligare diligenter oportet. Nam in eo fructus maxime vis conſiſtit, diutiuſque

perennat, quae firmis toris & idoneis locis religata est. Itaque omnibus annis convenit subsequi putationem, ita ut tori renoventur, & vitis per idoneos ramos disponatur.

De oliceris.

Cap. XVII. Olea maxime collibus siccis & argillosis gaudet: at humidis campis & pinguibus laetas frondes sine fructu affert. Melius autem truncis quam plantis olivetum constituitur. Magoni autem placet siccis locis olivam, aut mox post aequinoctium seri, aut ante brumam. Nostrae aetatis agricolae fere vernum tempus circa Cal. Majas servant. Oportet autem scrobem oleae quoquoversus pedes quaternos patere, in imum scrobem lapidem glareamque abjicere, deinde super terram quatuor digitorum injicere, tum arbusculam deponere ita rectam, ut quod a scrobe extiterit, in medium sit. Arbusculam autem a tempestatibus tueri diligenter oportet adminiculando, & terrae, quae in scrobe reponitur, stercora immiscendo. Oleam decet inter sexagenos pedes disponi, ut spatium in latitudinem crescendi habeat: nam quae in proceritatem extenduntur, evanidae fiunt, parumque fructus ferunt. Optima est olea Liciniana, pausia secunda oleo, escae orchis.

Sunt & regiae, & radii, quae neque ſpecie neque oleo ſunt tam gratae, quam quas ſupra diximus. Si oleam poſueris eo loco, unde quercus effoſſa eſt, morietur, ideo quod vermes quidam ſunt, qui in radice quercus naſcuntur & educantur, iique maxime ſemina oleae conſumunt. Si in olea unus ramus aliquanto caeteris laetior eſt, niſi eum recideris, arbor tota fiet retorrida. Omnes arbuſculas prius quam transferantur, rubrica notare convenit, ut cum ſerentur, eaſdem caeli partes aſpiciant, quas etiam in ſeminario conſpexerant: alioquin frigore vel calore laborabunt ab iis partibus, quas praeter conſuetudinem ſub alio tractu expoſitas habuerint.

De pomario conſtituendo.

Cap. XVIII. Priuſquam pomarium conſtituas, quam magnum habere voles circummunito maceria, aut foſſa, ita ut non ſolum pecori, ſed ne homini quidem tranſitus ſit, niſi per oſtium, dum adoleſcant ſemina. Nam ſi prius cacumina manu perfracta, aut a pecore praeroſa fuerint, quam adoleſcant, in perpetuum corrumpuntur. Generatim autem arbores diſponere utilius, maxime ne imbecillae a valentioribus premantur, quae

nec viribus, ne magnitudine sunt pares, neque pariter crescunt. Terra, quae vitibus apta est, eadem quoque utilis est arboribus.

De scrobibus faciendis.

Cap. XIX. Ante annum quam pomaria disponere voles, scrobes fodito. Ita sole pluviaque macerabuntur, & quod posueris cito comprehendet. Sed si quo anno scrobes feceris, etiam semina ponere voles, minimum ante duos menses fodito scrobes, postea stramentis eos completo & incendito. Quo latiores patentioresque scrobes feceris, eo laetiores erunt uberioresque fructus. Scrobs clibano similis esse debet, imus quam summus patentior, ut laxius radices evagentur, ac minus frigoris hieme, minusque aestate vaporis per angustum os terrae admittant: tum etiam clivosis locis terra, quae in eum congesta est, pluviis non abluitur. Arbores raris intervallis serito, ut cum creverint, spatium habeant, quo ramos extendant. Nam si spisse posueris, neque infra quicquam serere poteris, nec sic ipsae fructuosae erunt, nisi eas interraseris. Itaque placet inter ordines quadragenos pedes, minimumque tricenos, relinqui [versuris.]

Quomodo semina legas.

CAP. XX. Semina lege, ne minus crassa, quam manubrium est bidentis, recta, levia, procera, sine ulceribus, integro libro. Ea bene & celeriter comprehendunt. Semina si ex arboribus sumes, de iis potissimum sumito, quae omnibus annis bonos & uberes ferunt fructus. Observabis autem ab humeris, qui sunt contra solem orientem, ut eosdem decerpas. Si cum radice plantam posueris, incrementum ejus futurum, quod & caeteris, quas severis, arboribus. Arbos insita fructuosior est, quam quae insita non est, id est, quam quae cum ramis aut plantis ponitur. Priusquam arbusculas transferas, rubrica vel alia qualibet re signato, ut iisdem ventis, quibus ante steterunt, constituas eas: curamque adhibeto, ut ab superiore & siccore, & exiliore in planiorem, humidiorem, pinguiorem agrum transferas. Semina trifurca maxime ponito: ea extent supra terram tribus pedibus. In eodem scrobe, si duas aut tres arbusculas ponere voles, curato ne inter se contingant. Nam ita vermibus interimuntur. Cum semina depones, dextra ac sinistra singulis usque in imum scrobem fasciculos sarmentorum brachii humani crassitudine de-

ponito, ita ut supra terram paullulum extent, per quos aestate parvo labore aquam radicibus subministres. Arbores aut radicata semina autumno serito circa Idus Octobris. Taleas & ramos vere, ante quam germinare arbores incipiant, deponito. Sed ne tinea molesta sit seminibus siculneis, in imum scrobem taleam lentisci, ita ut cacumen ejus deorsum spectet, obruito.

Quando ficus serenda sit.

Cap. XXI. Ficum frigoribus ne serito: loca aprica, calculosa, glareosa, interdum & saxosa amat. Ejusmodi agro cito convalescit, si scrobes amplos & idoneos feceris. Ficorum genera etiam si sapore & habitu differunt, tamen uno modo, sed dispari differentia agri, seruntur. Locis frigidis, & autumni temporibus aquosis, praecoques serito, ut ante pluviam fructum deligas: locis calidis hibernas serotinas serito. At si voles ficum quamvis non natura seram facere, cum grossuli minuti erunt, fructum decutito: iterum alterum edet fructum, & in hiemem seram differet maturitatem. Nonnunquam etiam, cum frondere coeperint arbores, cacumina fici acutissimo ferramento summa amputare prodest. Sic firmiores arbores & feraciores

fiunt. Semper proderit, simul ac folia agere coeperit ficus, rubricam amurca diluere, & cum stercore humano ad radicem infundere: ea res efficit uberiorem fructum, & farctum fici speciosius & plenius.

De nuce serenda.

Cap. XXII. Nucem Graecam serito Arcturi signo, vel circa Cal. Febr. quae prima gemmascit. Agrum calidum, durum & siccum desiderat. Nam in locis diversis natura ejusmodi si posueris nucem, protinus putrescet. Ante quam nucem deponas, in aqua mulsa, nec nimis dulci macerato, ita jucundioris saporis fructum, cum adoleverit, praebebit, & interim melius atque celerius nascetur. Ternas nuces in trigonum statuito, parsque acutior inferior sit, quia inde radices mittit, nuxque a nuce minime palmo absit, & anceps ad Favonium spectet. Omnis nux unam radicem mittit, & simplici stilo prorepit. Cum ad scrobis solum radix pervenit, duritia humi coërcita recurvatur, & extensa in modum ramorum alias radices emittit. Nucem Graecam, & Avellanam Tarentinam hoc modo facere poteris. In quo scrobe destinaveris nucem serere, terram minutam in modum semipedis ponito, ibique semen ferulae re-

pangito. Cum ferula fuerit enata, eam findito, & in medullam ejus sine putamine nucem Graecam vel Avellanam abscondito, & ita adobruito. Hoc ante Cal. Mart. facito, vel etiam inter Nonas & Idus Martias. Hoc eodem tempore juglandem & pineam, & castaneam serere oportet.

De malo Punica serenda.

Cap. XXIII. Malum Punicum vere usque in Cal. Apriles recte seritur. Quod si acidum aut minus dulcem fructum feret, hoc modo emendabitur. Stercore suillo & humano, & lotio humano veteri radices rigato. Ea res & fertilem arborem reddet, & primitivos annos fructum vinosum, postea vero etiam dulcem & apyrenum facit. Nos exiguum admodum laser cyrenaicum vino diluimus, & ita cacumina arboris summa oblevimus, ea res emendavit acorem malorum. Mala Punica, ne rumpantur in arbore, remedio sunt lapides tres, si, cum seres arborem, ad radicem ipsam collocaveris. At si jam arborem satam habueris, scillam secundum radices arboris serito. Alio modo, cum jam matura mala fuerint, ante quam rumpantur, petiolos, quibus pendent, intorqueto. Eo modo servabuntur etiam anno toto.

De piro.

CAP. XXIV. Piros autumno ante brumam ſerito, ita ut minime dies quinque & viginti ad brumam ſuperſint. Quae ut ſint feraces, cum jam adoleverint, alte ablaqueato, & juxta ipſam radicem truncum findito, & in fiſſuram cuneum pineum tedae adjicito, & ibi relinquito: deinde obruta ablaqueatione cinerem ſupra terram ſpargito.

De malis ſerendis.

CAP. XXV. Mala aeſtiva, cydonea, ſorba, pruna, poſt mediam hiemem uſque in Idus Febr. ſerito. Morum ab Idibus Febr. uſque in aequinoctium vernum recte ſeres. Siliquam Graecam, quam quidam κερατιον vocant, deinde Perſicum ante brumam per autumnum ſerito. Amygdala, ſi parum feracia erunt, per foratam arborem lapidem adigito: ita librum arboris inoleſcere ſinito. Omnium autem generum ramos circa Calen. Mart. in hortis, ubi & ſubacta & ſtercorata terra eſt, per pulvinos arearum diſponere convenit: deinde cum creverint, danda eſt opera, ut dum teneros ramulos habent, veluti pampinentur, & ad unum ſtilum primo anno ſemina redigantur: & cum autumnus inceſſerit, ante quam frigus cacumina adu-

rat, omnia folia decerpere expediet, & ita craſſis arundinibus, quae ab una parte nodos integros habent, quaſi pileolos induere, atque ita a frigore & gelicidiis teneras adhuc virgas tueri. Poſt quartum & vigeſimum deinde menſem, ſive transferre & diſponere in ordinem voles, ſeu inſerere, ſatis tuto utrumque facies.

De inſitione arborum.

Cap. XXVI. Omnis ſurculus omni arbori inſeri poteſt, ſi non eſt ei, cui inſeritur, diſſimilis cortice: ſi vero fructum etiam eodem tempore fert, ſine ullo ſcrupulo optime inſeritur. Tria autem genera inſitionum antiqui tradiderunt: unum, quod reſecta & fiſſa arbore recipit inſertos ſurculos: alterum, quod reſecta inter librum & materiam admittit ſemina: quae utraque genera verni temporis ſunt: tertium, quod ipſas gemmas cum exiguo cortice in partem ſui delibratam recipit, quam vocant agricolae emplaſtrationem. Hoc genus aeſtatis eſt. Quarum inſitionum rationem cum tradiderimus, a nobis quoque repertam aliam docebimus. Omnes arbores ſimulatque gemmas agere coeperint, luna creſcente inſerito, olivam autem circa aequinoctium vernum uſque in Idus Aprilis.

Ex

Ex qua arbore inſerere voles, & ſurculos ad inſitionem ſumturus es, videto, ut ſit tenera & ferax, nodiſque crebris: & cum primum germina tumebunt, de ramulis anniculis, qui ſolis ortum ſpectabunt, & integri erunt, eos legito: craſſitudine minimi digiti: ſurculi ſint biſulci. Arborem, quam inſerere voles, ſerra diligenter exſecato ea parte, quae maxime nitida & ſine cicatrice eſt, d biſque operam, ne librum laedas. Cum deinde truncum recideris, acuto ferramento plagam levato: deinde cuneum ferreum vel oſſeum inter corticem & materiem, ne minus digitos tres, ſed leniter demittito, ne laedas aut rumpas corticem. Poſtea ſurculos, quos inſerere voles, falce acuta ab una parte eradito tam alte quam cuneum demiſiſti, ſed ita ne medullam, neve alterius partis corticem laedas: ubi ſurculos paratos habueris, cuneum vellito, ſtatimque ſurculos demittito in ea foramina, quae cuneo adacto inter corticem & materiem facta ſunt. Ea autem fine, qua adraſeris, ſurculos demittito ita, ut ſex digitis de arbore extent. In una autem arbore duos aut tres ramulos figito, dum ne minus quaternum digitorum inter eos ſit ſpatium. Pro arboris magnitudine, & cor-

ticis bonitate haec facito. Cum omnes ſurculos, quos arbor patietur, demiſeris, libro ulmi, vel vimine arborem aſtringito: poſtea paleato luto bene ſubacto oblinito totam plagam, & ſpatium quod eſt inter ſurculos uſque eo, ut duobus digitis inſita extent: ſupra lutum muſcum imponito, & ita alligato, ne pluvia dilabatur. Si puſillam arborem inſerere voles, juxta terram abſcindito, ita ut ſeſquipedem a terra extet. Cum deinde abſcideris, plagam diligenter levato, & medium truncum acuto ſcalpro modice findito, ita ut fiſſura trium digitorum ſit. In eam deinde cuneum, quoad patietur, inſerito, & ſurculos ex utraque parte adraſos demittito, ita ut librum feminis libro arboris aequalem facias. Cum ſurculos diligenter aptaveris, cuneum vellito: deinde arborem, ut ſupra dixi, alligato & oblinito: dein terram circa arborem aggerato uſque ad ipſum inſitum. Ea res a vento & calore maxime tuebitur. Tertium genus inſitionis, cum ſit ſubtiliſſimum, non omni generi idoneum eſt: & fere eae recipiunt talem inſitionem, quae humidum, ſuccoſumque, & validum librum habent, ſicuti ficus. Nam & lactis plurimum remittit, & corticem robuſtum habet. Opti-

me itaque ea inseritur tali ratione. Ex qua arbore inserere voles, in ea quaesito novellos & nitidos ramos. In his deinde observato gemmam, quae bene apparebit, certamque spem germinis habebit: eam duobus digitis quadratis circumsignato, ut medio gemma sit, & ita acuto scalpello circumcidito, delibratoque diligenter, ne gemmam laedas. Deinde in qua arbore inserere voles, in ea nitidissimum ramum eligito, & ejusdem spatii corticem circumcidito, & materiam delibrato, & in eam partem, quam nudaveras, gemmam hanc, quam ex altera arbore sumseras, aptato ita, ut emplastrum circumcisae parti conveniat. Ubi haec feceris, circa gemmam bene vincito, ita ne laedas: deinde commissuras & vincula luto oblinito, spatio relicto, qua gemma libere germinet. Materia, quam inseveris, si sobolem vel superiores ramos habebit, omnia praecidito, ne quid sit, quo possit succus evocari, aut cui magis, quam insito serviat. Post unum & vigesimum diem solvito emplastrum. Hoc genere etiam optime olea inseritur. Quartum illud genus insitionis jam docuimus, cum de vitibus disputavimus: itaque supervacuum est hoc loco repetere jam traditam rationem terebrationis.

Quod omnium generum ſurculi omnibus arboribus inſeri poſſint.

CAP. XXVII. Sed cum antiqui negaverint poſſe omne genus ſurculorum in omnem arborem inſeri, & illam quaſi finitionem, qua nos paullo ante uſi ſumus, veluti quandam legem ſanxerint, eos tantum ſurculos poſſe coaleſcere, qui ſint cortice, ac libro, & fructu conſimiles iis arboribus, quibus inſeruntur, exiſtimavimus errorem hujus opinionis diſcutiendum, tradendamque poſteris rationem, qua poſſit omne genus ſurculi, omni generi arboris inſeri. Quod ne longiori exordio legentes fatigemus, unum quaſi exemplum ſubjiciemus, qua ſimilitudine quiſque quod genus volet omni arbori poterit inſerere. Scrobem quoquoverſus pedum quatuor ab arbore olivae tam longe fodito, ut extremi rami oleae poſſint eam contingere. In ſcrobem deinde fici arbuſculam deponito, diligentiamque adhibeto, ut robuſta & nitida fiat. Poſt triennium, aut quinquennium, cum jam ſatis amplum incrementum ceperit, ramum olivae, qui videbitur nitidiſſimus, deflecte, & ad crus arboris ficulneae religa: atque ita amputatis caeteris ramulis, ea tantum cacumina, quae inſerere voles, relin-

quito: tum arborem fici detruncato, plagamque levato, & mediam cuneo findito. Cacumina deinde olivae ficuti matri inhaerent, utraque parte adradito, & ita fissurae fici aptato, cuneumque eximito & diligenter colligato, ne qua vi revellantur. Sic interpositio triennio coalescit ficus olivae: & tum demum quarto anno, cum bene coierint, velut propagines, ramulos olivae a matre resecabis. Hoc modo omne genus in omnem arborem inseritur.

De cytiso.

Cap. XXVIII. Cytisum, [quem Graeci aut ζέας, aut καρνίην, aut τρυφερὴν vocant,] quamplurimum habere expedit, quod gallinis, apibus, ovibus, capris quoque, & omni generi pecudum utilissimus est, quod ex eo cito pinguescit, & lactis plurimum praebet ovibus: tum etiam quod octo mensibus viridi eo pabulo uti, & postea arido possis. Praeterea in quolibet agro, quamvis macerrimo celeriter comprehendit, omnemque injuriam sine noxa patitur. Mulieres quidem, si lactis inopia premuntur, cytisum aridum in aqua macerari oportet: cum tota nocte permaduerit, postero die expressi succi ternas heminas permisceri modico vino, atque

ita potandum dari: sic & ipsae valebunt, & pueri abundantia lactis confirmabuntur. Satio autem cytisi vel autumno circa Idus Octobr. vel vere fieri potest. Cum terram bene subegeris, in modum horti areas facito, ibique velut ocimum semen cytisi autumno serito: plantas deinde vere disponito, ut inter se quoquoversus quatuor pedum spatio distent. Si semen non habueris, cacumina cytisorum vere disponito, stercoratam terram circa aggerato. Si pluvia non incesserit, rigato XV proximis diebus. Simul ac novam frondem agere coeperit, sarrito. Post triennium deinde caedito, & pecori praebeto. Equo abunde est viridis pondo XV, bovi pondo XX. Caeterisque pecudibus pro portione virium. [Potest autem etiam circa Septembrem ramis seri.] Aridum si dabis, exiguius dato, quoniam majores vires habet, priusque aqua macerato, & exemtum paleis permisceto. Cytisum, quod aridum facere voles, circa mensem Septembris, cum semen ejus grandescere incipiet, caedito. Paucis deinde horis, dum flaccescat, in sole habeto. Deinde in umbra adsiccato, & ita condito.

De salice, genesta & arundine.

CAP. XXIX. Salicem & genistam crescente luna vere circa Calend. Martias serito. Salix humida loca desiderat, genista etiam sicca, utraque tamen circa vineam opportune seruntur, quoniam palmitibus idonea praebent vincula. Arundo optime seritur, quos alii bulbos, alii oculos vocant. Simulatque terram bipalio repastinaveris, radicem arundinis acuta falce praesectam impendenti pluvia disponito. Sunt, qui arundines integras sternant, quoniam ex omnibus nodis satae arundines emittunt. Sed fere hoc genus evanidam, exilemque, & humilem arundinem affert. Melior itaque satio est ea, quam prius demonstravimus. Placet autem omnibus annis simulac arundinem cecideris, locum alte & aequaliter fodere, atque ita rigare.

De viola & rosa.

CAP. XXX. Violam, qui facturus est, terram stercoratam & repastinatam minimum alte pedem in pulvinos redigat. Atque ita plantas hornotinas scrobiculis pedalibus factis ante Calendas Martias dispositas habeat. Semen autem violae sicut olerum in areis duobus temporibus seritur, vere vel autumno. Colitur autem eo modo, quo & caetera

olera, ut runcetur, ut sarriatur, ut interdum etiam rigetur. Rosam fruticibus ac furculis disponi per sulcos pedales convenit per idem tempus, quo & viola. Sed omnibus annis fodiri ante Calendas Mart. & interputari oportet. Hoc modo culta multis annis perennat.

71B 4/e,15

Sb.

ULB Halle 3
005 017 807

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-823004-p0445-5


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-823004-p0446-0



L. JVNII MODERATI

COLVMELLAE

DE

RE RVSTICA

LIBRI XII

CVRANTE

Jo. MATTHIA GESNERO

TOMVS SECVNDVS



MANNHEMII,

Cura & Sumptibus Societatis literatae

MDCCLXXXI.

Farbkarte #13 B.I.G.
Inches Centimetres
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-823004-p0449-1